Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
7. G
1

36

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUÆSTIO MORALIS

AN

IGNORANTIA INVINCIBILIS

LICITUM REDDAT USUM

OPINIONIS MINUS PROBABILIS

in concurſu probabilioris & tutioris.

AUTORE P. NATALE BETONIO

Novocomenſi Societatis JESU

Theologô.

Juxta exemplar

POSNANIÆ,

Typis Regiis Clari Collegii Societatis JESU,

Anno M. DC. XCVII.

Cum facultate Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUÆSTIO MORALIS

AN IGNORANTIA invincibilis licitum reddat uſum Opinionis minùs Probabilis.

ACCEPI Literas tuas æquiſſime ſeverine, quibus ex me ſciſcitaris, quid in iſtis locis, & in hac noſtrâ Academiâ cogitemus, quid ſentiamus in celebri circa probabilitatem controverſiâ, quæ ab annis ferè quadraginta, tantâ animorum contentione diſcepatur. Ego ſanè, ut de me uno pronuntiem, cum viderem utramque ſententiam magnis ſe judicibus ac defenſoribus tueri, eorum ſapientiam Doctrinamque reveritus, rei diſceptationem acutiſſimis ingeniis permittebam; interim dum ego ex tacito conſcientiæ impulſu, quem

Digitized by Google

monitorem audire tenemur omnes, privatim conſulentibus, juxta probabiliorem utique reſpondebam. Sed quoniam pro ſingulari tuâ amicitiâ, rogas & urges, ut non tam cæterorum Academicorum noſtrorum, quàm privatum Animi mei ſenſum palàm aperiam, & meum quoque ſcrupulum, exiguumque licet momentum alterutri ſtateræ parti adjiciam; unum illud ſtatim apertè ingenuèque profiteor, minimè probari mihi Auctorum illorum ſeu confidentiam, ſeu animi impetum dixeris, qui res ſupra modum, ſupraque meritum exagerantes, calumniis, & invidioſis criminationibus potiùs quàm urgenti validâque diſputatione rem agunt.

Montaltus Ep. ad prov. 5. 6. & alii. VVendrok. ad Ep. 5. Moralis Jeſuit. l. 1. part. 2. c. 2.

Præivere exemplo nonnulli è defenſoribus ſeverioris ſententiæ, quorum alii Doctores totius Orbis Chriſtiani judicio virtute & pietate inſignes auſi ſunt Laxitatis, & corruptæ morum diſciplinæ accuſare, eò ſolùm nomine, quòd benignam ſententiam tuerentur; alii furenter aſſerere eorum Doctrinam moralem, ſi ſuperis placet, deteriorem eſſe ipſius Mahometis Inſtitutis. Verùm quàm bruta obtuſaque ſint eorum tela facilè intelliget quiſquis attendat à quibus opificibus cuſa, & à quâ officinâ prodierint. Satis notum, quid hac arte ſpectarent; nempe, ut exauctoratis publicæque

Digitized by Google

invidiæ expoſitis præcipuis Doctoribus; ſcholam totam everterent; verum idem huic ſcholæ contigit, quod ſcopulo in medio mari defixo.

Dum tumidi circumſtant undique fluctus, in ſpumas abeunt immotâ rupe procellæ.

Ex aliâ parte, quibuſdam benignæ ſententiæ Patronis, ut calumnias iſtas diluerent, aut vindicarent, viſum eſt convitia convitiis reponere, & ſeveros Doctores promiſcuè omnes affinitatis cum novatoribus, impenſique illis favoris reos accerſere, haud ſatis attendentibus, hujuſmodi contumelias cauſæ imbecillitatem, & puſillos humileſque animos arguere, qui, quod ratione & æquitate nequeant, conviciis moliantur.

Excitavit hanc animadverſionem contentio inter nonnullos Academicos, in publicis Theſibus, nuper exorta. Aſſerebat unus licitè operari, nec peccare illum qui in concurſu opinionis probabilioris ſtantis pro lege, ſequitur minùs probabilem faventem libertati. Rem urgebat argumento ab ignorantiâ invincibili petito, quod ab inſignibus Doctoribus Terillo, Fabri, & Cardenâ mutuatum ſe ingenuè profitebatur. Probabat nempe eum qui in illo opinionum conflictu, juxta minùs probabilem operatur, habere ignorantiam invincibilem

Digitized by Google

Legis ſuam hanc actionem prohibentis. Unde inferebat non peccare illum, aut ſi peccare dicatur, verum eſſe duriſſimum dogma Auguſtini Iprenſis ejuſque Diſcipulorum ſuprà nominatorum Montalti, Vendrokii, Sinnichii, & fallacis Jeſuiticæ Moralis Compactoris, ac Sociorum qui contendunt ignorantiam invinc. juris naturalis non excuſare à peccato. Quod ſi ita eſt, aïebat, ſileant qui minoris probabilitatis defenſores inductæ in morum diſciplinam laxitatis accuſant; quandoquidem ipſi non minorem notam incurrunt dum favent hominibus qui tam acerbam doctrinam tuentur. Etenim non minùs morum diſciplinam corrumpunt qui eam nimis conſtringunt quàm qui illam nimiùm laxare dicuntur.

Janſ. L. 2. de St. Nat. Lapſ. c. 2. & ſeq.

I. Dum clamoribus diſputatio extraheretur, privatim ego in hoc ipſo conſeſſu, apud me ſtatui rem totam per otium accuratiùs examinare, & bonâ fide diſquirere. 1o. An Doctores Catholici qui aſſerunt nefas eſſe operari juxta opinionem minùs probabilem, in concurſu tutioris, & probabilioris, ſentiant, in hac probabilitatis materiâ, cum Autoribus ſuprà nominatis, qui iſtud ignorantiæ invincibilis à peccato non excuſantis, & alia æquè acerba dogmata in Moralem Chriſtianam invexere.

2o. An illa utrorumque concordia ritè

Digitized by Google

probetur celebri illo argumento ab igno-
rantiâ invincibili petito.

3°. An hoc eodem argumento rei ſum-
ma conficiatur, videlicet non peccare illum
qui in conflictu hujuſmodi opinionum,
eam ſequitur quæ minùs tuta, ac minùs
probabilis videatur. Hic finis, hic ſcopus
eſt hujus quæſtionis.

Antè tamen quam rem aggrediar, mo- II.
neo æquiſſime ſeverine, ſeveriorem de
probabilitate ſententiam duobus modis
defendi poſſe. Primus eſt eorum qui di-
cunt in occurſu duarum opinionum, qua-
rum una probabilis quidem, altera verò
probabilior & tutior judicatur, eam eli-
gendam quæ in ſe & abſolutè probabilior
eſt; hoc eſt quæ ob majorem numerum
Doctorum qui eam aſſerunt, & gravita-
tem rationum quibus moventur, vulgò
probabilior habetur.

Alter eorum qui exiſtimant eam præ-
ferendam quæ reſpectivè, & ſubjectivè,
ut aïunt, probabilior eſt, hoc eſt, quæ
ipſi operanti viro probo, & ſapienti rem
accuratè examinanti probabilior, ac veri-
ſimilior apparet. Fieri enim poteſt, ut quæ
objectivè, & abſolutè probabilior eſt, reſ-
pectivè tamen minùs probabilis videatur:
contrà verò quæ aliorum judicio minùs
probabilis aparet, probabilior illa in mente

Digitized by Google

operantis exiſtat. Nempe contingit interdum, ut ratio una quæ multis Doctoribus bona quidem, & idonea, at non planè firma, validaque viſa eſt, alteri longè gravior, firmiorque, ac magis urgens videatur, propterea quòd majori otio, contentione & ſagacitate, ejus vim, ac firmitatem exploraverit.

Quare artis Magiſtri Oratores monere ſolent, ut rationes multiplicis generis, quamquam non omnes æqualis, ſuo judicio, ponderis, tum in dicendo, tum in ſcribendo proponant; quia ſæpè evenit, ut quæ ipſi Oratori leviores, eædem aliis graviores appareant, & majorem apud illos fidem obtineant. Atque hæc eſt major probabilitas reſpectiva quam defendit ſapientiſſimus Auctor diſſertationum de licicito uſu Opinionum probabilium, Reverendiſſ. P. Thyrſus Gonzales Præp. Gener. S. J. cum his tamen cautionibus, quas nos quoque inferiùs adhibebimus, ne privati unius hominis judicio plus æquo tribui videatur.

III. His præmonitis, ad primum accedo, contendoque non parùm hallucinari eos qui ſeveriores Doctores novatoribus ſuprà memoratis adjungunt, quaſi in materiâ Opinionum probabilium, communem omnes cauſam tueantur. Enim verò quàm

Digitized by Google

iniqua ſit hujuſmodi accuſatio, intelligi poteſt ex palmari diſcrimine quod inter utramque ſententiam intercedit. Diſcrimen autem illud ex multiplici capite petitur.

1o. Quod illi Auguſtini Iprenſis Diſcipuli, nec eamdem, quam Doctores ſeverioris ſententæ Patroni, circa probabilitatem, ſententiam defendant; 2o. nec eamdem impugnent. 3o. nec eadem, ex utrâque ſententiâ, conſectaria deducantur.

Prima pars aſſertionis ita probatur Janſeniani morum cenſores partem legi faventem, & rigidiorem ſententiam ita defendunt, ut nolint probabilitatem etiam maximam ſufficere ad licitè operandum: Sed evidentiam omnino requirunt, hoc eſt judicium certum & evidens de honeſtate objecti. Ita docuere hujus ſcholæ anteſignani, Libertus Fromondus in Apologiâ. Num. 116. Sinnichius L. 1. c. 27. Saülis exregis, & ementitus VVendrokius in famoſis ad Montaltum notis, quibus noviſſimè acceſſit alterius ſcholæ Alumnus, divique Thomæ, ſed non in hac ſanè parte, diſcipulus, qui exiſtimat nefas eſſe operari juxta ſententiam faventem libertati, quanquam illa verè probabilis ſit, imò oppoſitâ probabilior; ac proinde actionem eſſe illicitam, niſi evidens certumque ſit eam nullâ lege prohiberi.

IV.

P. Nat. Alex.

Digitized by Google

V. Horum porrò Autorum ea videtur eſſe ratio, quia opinioni ſeu judicio, quod nititur tantùm motivo probabili, poteſt ſubeſſe falſum; ex quo fit, ut qui eo judicio regitur, errandi, peccandique periculo ſe exponat.

Hujus ego ſententiæ acerbitatem in præſentiâ non demonſtro, quam decretum ſummi Pontificis Alexandri VIII. a Chriſtianâ morum diſciplinâ abundè prohibuit, cum damnavit eos qui aſſerunt: *Non licere ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.* Iſtud unum mihi propoſitum eſt, ut oſtendam defenſores majoris probabilitatis reſpectivæ cum aſperioribus illis autoribus non ſentire, ſed contrà, hoc eorum commentum rejicere, & impugnare.

VI. Quod in primis præſtitit ſapientiſſimus Auctor diſſertationum de licito uſu opinionum probabilium, qui totâ diſſertatione decimâ, multiplici argumentò oſtendit, ad uſum licitum opinionis minùs tutæ non requiri judicium omnino certum & evidens de honeſtate objecti, ſed ſufficere judicium opinativum ex motivo probabili. Et ratio eſt, quia quiſquis agit ex tali motivo, prudenter operatur; illud enim judicium imprudens eſſe non poteſt, neque ex parte ſubjecti, neque ex parte objecti. Non ex

Digitized by Google

parte ſubjecti, cum ab homine veritatis, & ſalutis ſtudioſo, omni affectu ſepoſito, & ſingulari adhibitâ diligentiâ, eliciatur. Non item ex parte objecti, cum homo ille nitatur motivo gravi, & rationabili, idoneo ad movendum viros prudentes, quibus perſuaſum eſt, in rebus agendis haberi non poſſe omnimodam evidentiam, ac ſufficere validam hujuſmodi rationem ad ſtatuendum, & decernendum in negotiis quibuſcumque graviſſimi, maximique momenti.

Ex quâ doctrinæ oppoſitione ac repugnantiâ liquidò conſtat, autores benignæ ſententiæ adverſantes neque ſentire, neque docere cum ſcriptoribus illis, qui acerbiora ſua iſtæc placita, ſive ex Baii, ſive ex Janſenii diſciplinâ hauſerunt.

Enim verò Sectæ, aut Scholæ cuipiam non ille favere cenſetur, qui tuetur dogmata, quæ ſunt hujuſmodi Sectæ cum multis aliis Doctoribus communia; ſed qui ea defendit, quæ ſunt ejus propria, & quâ velut peculiari notâ ejus doctrina cognoſcitur. Ità ad partes Calvinianorum non ille ſe adjungere dicitur, qui cum illis aſſerit, Electionem ad Gloriam fieri ante hominis merita, tum abſolutè, tum conditionatè prævisa, quia multi Doctores Catholici hoc ipſum tuentur ac docent: Sed qui exiſtimat, poſitivam reprobationem VII.

Digitized by Google

fieri, æternamque in miſeros Mortales combuſtionem decerni, ante præviſa eorum demerita, hoc eſt ex merâ Dei voluntate, non ob peccata, quæ videat ab eis aliqando perpetranda; ſiquidem in materiâ prædeſtinationis, hujuſmodi Dogma eſt ſingulare Calvinianorum ſimbolum, & velut forma eorum doctrinæ ac diſciplinæ.

Juxta eam legem dicendum pariter, ſcholæ, ſeu Bajanorum, ſeu Janſeniſtarum nequaquam favere illum, qui cum ipſis exiſtimat, nefas eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, in concurſu probabilioris ac tutioris, quia idem ſentiunt Auctores multi in aliis ſcholis, & quidem probè Catholicis inſtituti. Verùm ad eam ſectam propendere, imò accedere videretur, qui cum ejus Auctoribus ſuprà memoratis exiſtimaret, nefas eſſe ſequi opinionem quantumvis probabilem, niſi certa omnino, evidenſque appareat. Atqui hoc non exiſtimant ſeverioris ſententiæ Patroni, qui, poſt damnatam ab Alexandro VIII. propoſitionem iſtam; *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam*, non minùs recedendum aiunt ab hac Moralis Janſeniſtarum diſciplinæ acerbitate, quám à duritie eorum dogmaticæ Doctrinæ, poſt quam Innocentius X. & Alexander VII. eam Hæreſis notâ confixere. Etenim cum ini-

Digitized by Google

quum ſit exiſtimare, Deum optimum præcepta hominibus legeſque impoſuiſſe, quas tamen ipſi nullâ ratione ſervare poſſint; non minùs ſanè durum & acerbum eſt aſſerere, velle ipſum, ut cuidam ſuæ legi obtemperent, niſi evidenter, certòque conſtet, eam ad illos minimè pertinere, quamvis, & præſtans Auctoritas, & rationes graviſſimæ, ſuadeant, illâ ſe lege, in hoc rerum articulo, non teneri.

Altera ſuperioris Aſſertionis pars, quòd VIII. ſeverioris probabilitatis Patroni non eamdem, quàm Janſeniani probabilitatis hoſtes ſententiam oppugnent, ac proinde quòd ipſis non faveant, nec ſit communis utrorumque cauſa facilè demonſtratur.

Primò, quia, ut ſuprà indicavimus, Janſeniſtæ omnem omnino è Chriſtianâ morum diſciplinâ probabilitatem excludunt; Alii ejus dumtaxàt uſum temperant, ac certis quibuſdam terminis circumſcribunt. Negant illi, fas eſſe homini de re aliquâ faciendâ, aut omittendâ deliberanti ad partem legi oppoſitam ſe convertere, niſi ejus honeſtas evidenter ac certiſſimè proponatur. Aſſerunt iſti, fas eſſe, modò hujuſmodi honeſtas, citra evidentiam, ex gravi & probabili ratione appareat, cum eâ ſolùm cautione, ut cum pars utraque idoneis rationibus munietur, ea eligatur, quam ani-

mus affectûs ac cupiditatis purus, magis probabilem judicabit.

Secundò, Janſeniani probabilitatis Oſores, ſeu, ut moralis diſciplinæ doctoribus majorem invidiam concitent, ſeu ut larvam faciliùs expugnent, opinionis probabilis genus commenti ſunt, quod, nec benigni Doctores agnoſcunt, nec ſeveriores ipſi, qui meliori fide diſputant, prorſus oppugnant.

Supponunt enim, aut fingunt Janſeniſtæ, apud Doctores ſocietatis, opinionem probabilem eſſe ſententiam vel unius hominis docti gravi ratione permoti, quam in foro conſcientiæ ſequi liceat, prætermiſſâ Autoritate Scripturæ Conciliorum, & Sanctorum Patrum. Hanc opinionis probabilis notionem exhibent famoſus Janſeniſtarum Amanuenſis in ſuis epiſtolarum dialogiſmis, ejuſque interpres in notis, veriùs dixerim, in ſuo illo mendaciorum, & calumniarum ſupplemento; ait enim ille, juxta ſcholam Jeſuitarum, unum Doctorem Poteſtatem habere, novam in Eccleſiâ morum regulam cudendi, quaſi ſcilicet leges in Evangelio, atque in Conciliis conſtitutæ, aut rectæ non ſint, aut ad mores regendos minimè ſufficiant. Alter, ex eâdem probabilitatis Doctrinâ, colligit, à ſcripturarum, Patrum, & Conciliorum præſcripto impunè recedere poſſe illum, qui Patronum, ac Ducem ha-

Montaltus Ep. ad prov. 5. 6. & alii. VVendrok. ad Ep. 5. Moralis Juſuit. l. 1. part. 2. c. 2.

beat unum hujuſmodi Doctorem contraria divinis hiſce legibus ſuadentem.

IX.

Moralis Jeſuit: part. 2. l. 1. c. 1. a. 3.

Hanc videlicet tetram, horridamque ſpeciem opinioni probabili affingere placuit, ut in illis famoſis libellis, contra Doctores probè Catholicos impunè Claſſicum ca- ,, neretur, liberiùſque jactaretur favere illos ,, perditorum hominum intemperantiæ, ,, Hæreticorum erroribus, ſuperſtitionibus ,, Ehnicorum, ac demum eorum docu- ,, menta magis eſſe perniciosa, quàm ipſa ,, Mahometis inſtituta; hæc enim quanquam dictu horrenda, & vix credibilia, vera eſſe oportet, ſi, quod Janſeniani objiciunt, Auctores Societatis opinionum probabilium beneficio, Doctrinam à Chriſto, ab Eccleſiâ, à Sanctis Patribus traditam corrupere. Contra verò mendacia, & meras calumnias eſſe oportet, ſi falſa, & adulterina eſt idea opinionis Probabils, quam iſti homines comminiſcuntur. At falſam planè, mendacem, & invidioſè confictam eſſe probant illi ipſi ſeverioris ſententiæ Vindices, qui novatoribus illis favere dicuntur; ſiquidem inter illos, & benignos Doctores convenit, opinionem probabilem eſſe illam quæ certitudinem non habens, gravi tamen autoritate, & ratione non levis momenti nititur, & quæ nec errorem continet, nec aliquid Eccleſiaſ-

Digitized by Google

ticæ diſciplinæ, fideique contrarium, in eo ſolùm Doctores ſeveri à benignis diſcrepant, quòd cùm oppoſitæ circa rem aliquam agendam, aut omittendam, opiniones occurrunt, quarum neutra auctoritatibus ab Eccleſiâ receptis adverſatur, ei adhærendum velint, quæ probabilior operanti, hoc eſt quæ graviori auctoritate, ac ratione nixa videatur.

X. Exiſtimant itaquè Doctores ſeveri, opinionem ſive magis ſive minùs probabilem, etiam juxta ſententiam benignam, nihil habere repugnans Scripturæ, aut Eccleſiæ decretis. Hoc & ipſi ſentiunt, & in eâ ſolùm acceptione, hujuſmodi opinionem à benignis Doctoribus defendi, bonâ fide ſupponunt. Dixi hoc ipſos ſentire: Nam Auctor ſuprà Laudatus Diſſertationum de uſu licito opinionum probabilium, diſerté docet, opinionem verè probabilem eſſe judicium aliquorum virorum proborum, & ſapientium qui ob fundamenta, quæ illis videntur gravia, tamen infra evidentiam, exiſtimant, aliquem actum eſſe honeſtum, neque divinâ lege prohibitum.

Dis. 1. N. 6.

Sed ex eo non colligit, ad conflandam invidiam benignæ ſententiæ, viris hujuſmodi Doctis, beneficio ſuæ illius opinionis probabilis, fas eſſe Conſcientias ſuſdeque vertere, novam morum diſciplinam

Digitized by Google

in Eccleſiam Chriſtianam inducere; licitum illis, quibus horum Doctorum ſententia arridebit, a regulis in Evangelio præſcriptis impunè recedere. Aſſerit enim, ad rationem opinionis verè probabilis primum omnium ab utriuſquæ ſententiæ defenſoribus requiri, ut hujuſmodi opinio reipsà non ſit contra Scripturæ Sacræ Teſtimonium vel contra Romanorum Pontificum, & Conciliorum decreta, adeò ut ſi quis invincibiliter ignoraret, damnatam ab Eccleſiâ hujuſmodi opinionem, quantumcumque illa validis, & urgentibus rationibus niti videretur, non foret tamen in ſe probabils, ſed, ad ſummum dici poſſet illi homini probabilem apparere; quare in eo caſu, non ſequeretur ille opinionem probabilem, ſed opinionem, quam falsò, tamen ſine culpâ, ab ignorantiam invincibilem, probabilem exiſtimaret.

Dixi ſecundò laudatum Auctorem non modò in ſuâ ſeveriori, ſed neque in benignâ ſententiâ hanc laxitatem, & divini verbi depravationem agnoſcere; ſiquidem eodem loco fatetur, inter alias opinionis probabilis conditiones, hanc potiſſimùm à benignis Theologis ſtatui, ut neque Scripturæ Sacræ, neque Conciliorum, & ſummorum Pontificum Decretis, neque unanimi Patrum conſenſui opponatur; nec ſanè aliâ XI.

Digitized by Google

ratione, quàm eo in primis poſito, & conſtituto, cum illis Doctoribus diſputat. Ex quibus omnibus planè efficitur, non convenire ſeveros Doctores noſtros cum Janſenianis, neque in naturâ, & notione; neque in conditionibus; neque in conſectariis opinionis probabilis, ſeu benignæ, ſeu ſeverioris; ac proinde Auctorum illorum partibus non favere.

XII. Bona verba, inquies, non ſunt eadem conſectaria utriuſque ſententiæ, ſeverioris ſcilicet ac Janſenianæ? At ex eo potiſſimùm capite probari poteſt utriuſque concordia, & affinitas; quòd videlicet ex Doctrinâ Auctorum ſeveriorum conſequatur, ignorantiam invincibilem juris naturalis non excuſare à peccato. Hoc autem dogma eſt ferè præcipuum ac capitale Scholæ Janſenianæ, cum enim certum videatur virum probum, ac prudentem, qui in re aliquà agendâ ſequitur opinionem minùs probabilem, invincibiliter ignorare legem, quæ jubeat actionem illam omittere, ſi quis Doctor auſterior aſſerat hominem illum peccare, ſimul aſſerat neceſſe eſt, eum peccare qui invincibiliter legem ignorat.

An homo probus, ac ſapiens, qui adductus opinione minùs tutâ minùſque probabili aliquid agit, invincibiliter ignoret legem, quâ actio illa prohibetur, inferiùs expendemus

Digitized by Google

expendemus : eſt enim illud potiſſimum hujus noſtræ diſſertationis, ac controverſiæ caput. Nunc iſtud examinandum, an Doctores qui hujuſmodi opinionem minùs probabilem rejiciunt, ex eo capite incurrant in dogma Janſenianum de ignorantiâ invincibili, culpæ reatum non auferente.

XIII. Eſt quidem rata illa fixaque Janſenii ac diſcipulorum Doctrina: *Ignorantiam etiam quæ neceſſitatis non voluntatis eſt*, hoc eſt invincibilem; *Non carere peccato*, quia licèt illa, ignorantiam intelligit juris naturalis, non ſit perſonaliter, ac formaliter libera, & voluntaria, eſt tamen libera in cauſâ. Cum enim illa ſit effectus & pœna peccati Adami, ſicut peccatum Adami parentis, ac capitis noſtri, cenſetur nobis voluntarium, ita ignorantia ex eo orta dicitur nobis libera, ac voluntaria; unde fit, ut quæ contra legem naturalem hujus ignorantiæ tenebris obcæcati agimus, aut omittimus, nobis imputentur ad culpam.

L. 2. De ſtat. nat. lapſ. c. 2.

Durum ſanè acerbumque Dogma, ex quo rigidiora alia conſequuntur! At ubinam operum ſuorum Doctores ſeveriores acerbam aſperamque ſententiam tradiderunt? Illa enim ſolùm dicenda eſt Auctoris alicujus ſententia, quam ille expreſſè defendit, aut quæ ex aliquo ejus principio clarè evidenterque deducitur. Enim verò

Digitized by Google

deſignetur, locus aliquis, in quo ſeveri Doctores hoc Janſenii Dogma tueantur: *Non caret peccato ignorantia invincibilis. Non excuſatur à culpâ quiſquis agit contra legem naturalem, quanquam hujuſmodi legem ignoret*; & lauro donabitur, ſi quis veſtigium ullum ejus Dogmatis deprehendat: quod neque Auctores iſti ullibi expreſſè docent, neque ex ullo eorum principio manifeſtè conſequitur.

XIV. Dices, ſi peccat ille, qui ex opinione minùs probabili operatur, peccare, & illum oportet, qui agit cum ignorantiâ invincibili; quandoquidem hujuſmodi ignorantia in opinione minùs probabili continetur: Atqui Doctores ſeveri docent eum peccare, qui operatur ex opinione minùs probabili: ergo docent peccare illum, qui agit cum ignorantiâ invincibili: Ergo ſentiunt cum Janſenio, ejuſque Diſcipulis.

Reſpondeo, negando ſequelam primæ propoſitionis, quà aſſeritur peccare illum, qui operatur cum ignorantiâ invincibili, ſi peccat ille qui agit ex opinione minùs probabili; & pariter nego rationem, quâ hæc conſecutio firmatur, quia videlicet ignorantia invincibilis in opinione minùs probabili continetur. Utriuſque falſitatem inferiùs datâ operâ demonſtrabo.

XV. Interim ad depellendam à Doctoribus

Digitized by Google

ſeveris omnem Janſeniani Dogmatis ſuſpicionem, dico iſtâ Argumentationis formâ, poſſe benignis Doctoribus non leviorem alterius Erroris notam impingi: Atque ut res clariùs pateat, ſuppono in Eccleſiâ Catholicâ Dogma eſſe ſanctiſſimum, ſicut ignorantia invincibilis excuſat à peccato, ita ignorantiam craſſam, affectatam, & vincibilem non excurſare. Dico igitur eâdem argumentandi formâ, quâ probatur ſeveros Doctores Janſenianis favere, ac docere cum illis, ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato, eâdem, inquam probari poſſe, benignæ ſententiæ Patronos favere, obduratis, & ſolutioris vitæ hominibus; atque in eorum gratiam docere ignorantiam craſſam, affectatam, & vincibilem à peccato excuſare.

Sic enim, ex mente Auctorum, quos impugnamus, argumentum confici poteſt; qui ſequitur, inquiunt, opinionem minùs probabilem, non excuſatur à peccato juxta Auctores ſeveros: Atqui ille qui ſequitur opinionem minùs probabilem, agit cum ignorantiâ invincibili: Ergo ille qui agit cum ignorantiâ invincibili, juxta Auctores ſeveros, non excuſatur à peccato: Ita illi ratiocinantur. Repono jam ſimilem Argumentationem. Qui ſequitur opinionem minùs probabilem excuſatur à peccato, juxta XVI.

Digitized by Google

Auctores benignos: Atqui ille qui ſequitur opinionem minùs probabilem, ſi agit cum ignorantiâ, eſt hujuſmodi ignorantia, craſſa, affectata, & vincibilis: Ergo ille qui agit cum ignorantiâ craſſâ, affectatâ, & vincibili, juxta Auctores benignos, excuſatur à peccato. Majorem propoſitionem benigni Auctores ultrò concedunt. Minor verò probatur; quia, ſicut Doctores benigni aſſerunt legis ignorationem, & quidem invincibilem opinione minùs probabili contineri; ita Doctores ſeveri contendunt hujuſmodi ignorationem, ſi quæ ſit, aut affectatam eſſe, aut craſſam, quam operans, præſertim Doctus, & Probus poſſit, imò teneatur excutere. Atque id quidem eodem jure, quo benigni Doctores oppoſitum, nec minori ſanè ratione contendunt.

XVII. Nodum, opinor, benigni Auctores ſolvent, negando partem illam ſecundæ Argumentationis, in quâ dicitur, eſſe craſſam, & affectatam ignorantiam, quâ laborat ille, qui juxta opinionem minùs probabilem operatur. At nodum magis conſtringunt, quàm expediunt, cum Doctores ſeveri, pari jure negare poſſint, alteram illam benignorum Doctorum propoſitionem, quæ aſſerit hujuſmodi opinionem cum ignorantiâ invincibili eſſe conjunctam. Quare, ut mutuis iſtis laqueis utrique evadant, in eo

Digitized by Google

omnes conſentire debent ; quòd non illa habenda ſit Auctoris cujuſpiam ſententia, quæ ab Adverſariis ipſi tribuitur ; ſed quam vel ipſe expreſsè docet, vel quæ ex aliquo ejus principio manifeſtè deducitur. At placitum iſtud : *Ignorantia invincibilis à peccato non excuſat*, neque expreſſè docent Doctores ſeveri, neque ex ullo eorum principio clarè apertèque conſequitur : cum enim ex gemino iſto principio eliciatur ; opinio minùs probabilis non excuſat à peccato : Atqui ignorantia invincibilis opinione minùs probabili continetur : Ergo ignorantia invincibilis non excuſat à peccato. Primum quidem principium admittunt Doctores ſeveri, at ſecundum rejiciunt : ac proinde caſſa eſt irritaque, non certa ac manifeſta iſta concluſio: Ergo ignorantia invincibilis, juxta doctores ſeveros, non excuſat à peccato.

Dices iterum, quamquam Doctores ſeveri expreſsè non Doceant ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato ; cum tamen aſſerant opinionem minùs probabilem non excuſare ; & aliunde efficaciter probetur ignorantiam invincibilem hujuſmodi opinionem comitari ; nemo negaverit Theologos qui illam impugnant, favere ſaltem Janſenianis, eiſque argumenta præbere, quibus confirment neminem excuſa- XVIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

tione ignorantiæ invincibilis peccati reatum effugere.

Suadet iſtæc inſtantia, ut tertiam, eamque præcipuam quæſtionis partem aggrediar; in quâ diſquiſiturum me recepi, an argumento ab ignorantiâ invincibili petito uſus licitus opinionis minùs probabilis demonſtretur. Poteſt autem hujuſmodi argumentum eâ formâ proponi.

XIX. Ille non peccat qui operatur invincibiliter ignorans actionem eſſe illicitam: Sed qui agit vi opinionis minùs probabilis, ignorat invincibiliter actionem eſſe illicitam: Ergo qui agit vi opinionis minùs probabilis, non peccat. Major propoſitio certa eſt apud Doctores Catholicos, qui Dogma Janſenianum de ignorantiâ invincibili à peccato non excuſante communi cenſurâ configunt. Minor verò probatur, quia vir Probus, & Doctus, qui adhibitâ ſufficienti diligentiâ, ad inveniendam veritatem, judicio probabili practico judicat actionem eſſe licitam, V. G. licitum eſſe pingere in die feſto; ſi contingat actionem eſſe illicitam, & prohibitam, ille invincibiliter ignorat talem prohibitionem. Quia ſupponimus eſſe virum Doctum, ac Probum, & adhibuiſſe omnem diligentiam ad rei veritatem indagandam: Ergo ſi non poſſit eam aſſequi, non eſt ejus culpa, quòd eam ig-

Digitized by Google

noret, debetque in iis circumſtantiis hujuſmodi ignorantia, invincibilis exiſtimari; quandoquidem nullâ viri Probi ac Sapientis induſtriâ, nullo conatu, nullo ſtudio vinci poteſt.

Res clariûs explicatur ab iiſdem Auctoribus. Sumamus, inquiunt, unam materiam moralem de quâ Theologi diſputant; ita, tamen, ut poſt longam diſputationem, ac diuturnum ſtudium, ſemper maneat probabile, objectum illud à Deo non eſſe prohibitum. In eo caſu dicendum eſt homines de tali objecto ignorantiam invincibilem habere. Eſt enim illa ignorantia invincibilis, quæ poſt ſtudium tot annorum, totque ingeniorum deſudantium acutiſſimas inveſtigationes, diſcuti, ac ſuperari non potuit: Atqui talis eſt ignorantia legis divinæ, contra cujus exiſtentiam motiva probabilia militant: Ergo in omni materiâ à Theologis diſcuſsâ, & propter rationes ex utrâque parte probabiles, adhuc dubiâ, & incertâ, datur ignorantia talis legis, eaque planè invincibilis. Ter. q. 23. Prob. 14.

X X.

Reſpondent aliqui ignorantiam invincibilem quâ dicitur laborare ille, qui juxta opinionem minùs probabilem operatur, eſſe de falſo ſuppoſito, hoc eſt, niti principio gratis leviterque confiсto; quia, inquiunt, omnis ignorantia juris naturalis, Cotenſ. L. 6. d. 3. C. 2.

Digitized by Google

ſi quæ ſit, voluntaria eſt, adeòque vincibilis, quippe quæ perſonali dumtaxat peccato inducitur: Ratio eſt, quia cum lex naturalis ſcripta ſit in cordibus noſtris, deleri illa non poteſt, ſed obſcurari interdum pravis, & inordinatis affectionibus; quas cum homo poſſit ex animo evellere ſuo, ignorantiam quoque ab iis diffuſam poteſt,imò tenetur propulſare, ac vincere: ſi id omittat facere, reus eſt legis violatæ, atque ob tam ſupinam negligentiam jure plectendus.

Atque his argumentis ſcilicet, Auctores iſti benignam ſententiam laxitatis accuſant, quæ mediùs fidiùs haudquaquam rueret, ſi non aliis machinis quateretur: Adeſſe manum auxiliarem neceſſe fuit ex hac ipsâ ſcholâ, cui corruptæ morum diſciplinæ, tam invidiosè notam aſpergunt; cujus quidem ſcholæ Doctores, ut ſententiam benignam tot viris inſignibus probatam magis moderatè, ác reverenter excipiunt, ita validioribus illam rationibus, & argumentis oppugnant. Eorum vim ſubinde explorabimus, poſt examinatam proximè adductam reſponſionem.

XXI. Omnis ais, ignorantia juris naturalis non niſi peccato perſonali inducitur, aliquo
Pr. 4. ſcilicet affectu inordinato; qui ſignatum ſuper nos divini vultûs lumen non extinguit quidem, ſed denſis velut tenebris

offundit. Unde contingit, quod ait Ambroſius, ut erret mentis oculus, ubi errat affectus. At reponent benignæ ſententiæ Defenſores mancam eſſe iſtam cauſarum enumerationem; ex aliâ quippe causâ, quàm ex pravis affectibus hanc juris naturalis ignorantiam proficiſci; videlicet ex defectu ſufficientis luminis ſeu naturalis, ſeu ſupernaturalis, quo utroque interdùm, nullo peccato perſonali, nec ullâ noſtrâ culpâ caremus.

XXII. Et primò quidem naturale non ſuppetit nobis ubique, eâ copiâ, eoque fulgore, qui neceſſarius ſit ad pervidendas partes omnes juris naturalis: quoniam peccatum originis, ut Chriſtiana Theologia cum Auguſtino docet, duplicem humano generi plagam impoſuit; unam quâ auctâ cupiditate, vires voluntatis ad æqua, & recta omnia propendentis imminuit; alteram, quâ intellectûs aciem obtudit, acutamque in cognoſcendis rebus ſagacitatem debilitavit. Aſſero itaque juris naturalis ignorationem oriri interdum ex inordinatis affectionibus, interdum ex eâ mentis hebetudine, & gravitate. Cum oritur ex obtuſiori iſtâ mentis intelligentiâ, peccato perſonali nequaquam inducitur, ſed ſolâ peccati Originalis contagione; ac proinde homini vitio verti non poteſt, quòd eam non

Digitized by Google

vincat, excutiatque; niſi fortè Auctor iſte cum Janſenio exiſtimet ignorantiam culpâ primi Parentis in poſteros effuſam, quanquam invincibilem, à peccato non excuſare.

XXIII. Dixi ſecundò, homini Probo, & Sapienti rei cujuſpiam veritatem indaganti non ſemper affulgere lumen divinum, & ſupernaturale; quia videlicet Deus non tenetur illud, etiam enixè petentibus perpetuò, & conſtanter immittere. Patet illud ex pluribus controverſiis, quæ inter viros ſanctiſſimos, doctiſſimoſque agitatæ ſunt; in quibus poſt effuſas ad Patrem luminum ardentiſſimas preces, poſt diuturnam diſceptationem, nihil certi aſſequi ac definire potuerunt. Quis neget Cyprianum, & Patres Concilii Africani, Dionyſium, item Sanctiſſimum Epiſcopum Alexandrinum, & ardentiſſimas ad Deum preces effudiſſe, & ſingulari adhibitâ diligentiâ inveſtigaſſe; an exraret lex aliqua divina, quæ ſanciret validum eſſe baptiſmum ab Hæreticis collatum. Illi tamen quanquam Deo ardentiſſimè, ſupplicaſſent, legem hujuſmodi penitus ignorarunt. Ex quibus ſic liceat argumentari; Patres modò memorati, ſollicitè implorato Dei auxilio, omnique adhibitâ diligentiâ, ut de viris ſanctiſſimis æquum eſt exiſtimare, legem ignorarunt prohibentem baptiſatos ab Hæreticis, denuò baptiſari: At

nemo dixerit ortam hujuſmodi ignorantiam à pravis eorum affectionibus; hæc enim ſuſpicio in viros Sanctiſſimos cadere nequit: Invecta eſt igitur ſenſim, ac propagata ex defectu divini, ac ſupernaturalis luminis; quo quidem, nullâ ſuâ culpâ, præmiſſis, quas modò dicebam, cautionibus, ſed ex mero Dei placito, carüere.

Idem dicendum de controverſiis moralibus circà jus tum divinum poſitivum, tum naturale, inter viros ſanctos accuratiſſimè, at incerto demum exitu, diſceptatis: puta cum Auguſtinus aſſerit, Chriſoſtomus negat homini, in pari caſu, & in eodem mortis periculo verſanti licitum uti eâdem æquivocatione; quâ Abrahamus olim uſus eſt, cum vitâ, ut ſibi quidem videbatur, apud Ægyptium Pharaonem, & iterum apud Abimelechum periclitaretur: eſt enim maximè probabile utrumque Doctorem, in loco ancipiti, divinum, ut ſanctos decebat, lumen poſtulaſſe; & tamen certum eſt non utrique divinum lumen adfuiſſe; cum duabus ſententiis planè oppoſitis veritas ineſſe non poſſit. XXIV.

Stet itaque eſſe aliquam legis ignorationem, in quam nullo peccato perſonali, nec ullâ noſtrâ culpâ incurrimus; quæ proinde, nec vinci poſſit, nec quæ ex illâ conſequuntur, nobis vitio ac crimini tribui

Digitized by Google

debeant. Unde diſcat Auctor prædictus hujus reſponſionis, non fuiſſe tam exultanter, contra benignæ ſententiæ Defenſores laxitatis invidiam concitandam; quandoquidem, præter cætera, argumento movebantur, cujus vim, & robur ipſe ne leviter quidem ſuâ reſponſione perſtrinxerit; quare illâ omiſſâ aliam ſubjiciamus.

XXV. Et primò quidem, quidquid junior iſte ſcriptor cum nonnullis aliis ſentiat, fatemur cum D. Thoma dari poſſe ignorantiam invincibilem, tam juris naturalis, quàm poſitivi; ſin minùs quoad prima Principia, & clariora Decalogi Præcepta; ſaltem quoad Concluſiones difficiles, & remotas, de quibus dantur opiniones contrariæ inter Doctores. Enimverò homines Sanctiſſimi Doctiſſimique, ut modò dicebam, de pluribus inter ſe diſcrepant, an ſint licita, an jure naturæ prohibita? Diſpûtatur V. G. an jure naturali teneamur ad reſarciendum damnum cum ſolâ culpâ veniali illatum: An Judex poſſit morte damnare, quem certò novit immunem ab objecto crimine, quia illud in foro exteriori ſufficienter probatur. Habet utraque propoſitio Pios & Doctos Theologos diffidentes. Alii partem negantem: Alii affirmantem tuentur: cum itaque pars utraque ſimul vera eſſe non poſſit, neceſſe eſt alterutram eſſe falſam;

D.Thom 1. 2. Q. 94. a. 4. c. 2. 6. c.

Digitized by Google

ſi una eſt falſa, ergo qui illam deffendunt, legem naturæ invincibiliter ignorant: Quia cum ſupponamus eſſe viros Sanctos, & Doctos, planè exiſtimandum eſt adhibuiſſe illos vires omnes, & diligentiam omnem ad inquirendam veritatem; quæ ſi nihilominùs illos effugiat, omnino dicendum eſt hujuſmodi ignorantiam, & inculpabilem, & invincibilem eſſe.

Confirmatur. Quia nullus Doctor quantumvis Sapiens, & Doctus habet privilegium numquam errandi in iis, quæ docet circa jus naturale; poteſt ergo contingere, ut fallatur interdum, fallatur autem errore invincibili; quia ſi liberum ipſi ac integrum eſſet, ut eum errorem vinceret, ſuadent eximia ejus Sanctitas, & Eruditio, adhibendam ab eo omnem operam, ut excuteret ignorantiam illam, erroremque deponeret. XXVI.

Alterum dogma, quod ultrò fatemur, iſtud eſt, videlicet hujuſmodi ignorantiam invincibilem à peccato excuſare; ac planè exiſtimamus à Viro Catholico negari non poſſe, præſertim poſt damnatam, A Pio V. & Gregorio XIII. hanc Baii propoſitionem: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Item ab Innocentio X. iſtam aliam ex Janſenio deprompptam: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes,*

quas habent vires, *ſunt impoſſibilia*, utraque enim propoſitio manifeſtè deducitur ex Doctrinâ, quæ aſſerit ignorantiam invincibilem, à culpâ neminem liberare.

XXVII. Prima quidem, quia illud quod nullo modo cognoſcitur, non eſt voluntarium, nihil enim volitum, quod non priùs cognitum: ſed quod ignoratur invincibiliter, nullo modo cognoſcitur: Ergo quod ignoratur invincibiliter, non eſt voluntarium. Quamobrem ſi peccato non careat, quod ignatur invincibiliter, ſequitur omnino non eſſe peccato immune, etiam illud, quod non eſt voluntarium. Hoc autem Baij placitum ſummi, quos dixi, Pontifices proſcripſerunt.

Altera propoſitio non obſcuriùs ex eodem principio elicitur in hunc modum: Obſervatio legis, quam homo invincibiliter ignorat, eſt illi impoſſibilis: Ergo ſi teneatur illam ſervare tenetur ſervare præceptum, quod eſt illi impoſſibile. Antecedens eſt certum, quia ibi non eſt potentia libera, & expedita ſervandi legem, ubi deeſt, unum ex iis; quæ ad complendam hujuſmodi potentiam neceſſariò requiruntur: Atqui cognitio legis, & obligationis quam illa imponit, eſt unum ex iis, quæ neceſſariò requiruntur: Ergo ſi illa deſit, non eſt potentia libera, & expedita adſer-

vandam legem. Ex quo ſequitur præceptum eâ lege contentum impleri non poſſe, ac proinde impoſſibile eſſe. Sequitur præterea hominem peccare, ac demereri abſque libertate indifferentiæ, quâ caret omnino, quiſquis non habet potentiam, quam modò deſcripſimus; quæ altera eſt è quinque propoſitionibus Apoſtolicâ cenſurâ notatis.

Demum huic noſtræ aſſertioni de ignorantiâ invincibili excuſante à peccato, favet imprims decretum Alexandri VIII. in quo damnatur hæc propoſitio. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ, operantem ex ipſâ, non excuſat à peccato formali.* Quid reponetur ad tam claram litis diciſionem? Reponet larvatus Abbas frigidæ vallis in Quæſtione Juris Pontificii, propoſitionem de ignorantiâ invincibili damnatam ab Alexandro VIII. *Eſſe certam Sancti Auguſtini contra Pelagianos Doctrinam*: *decretum verò quo illa proſcribitur, eſſe ipſo jure nullum, eſſe per ſe injuſtum, eſſe obreptitium.* En profectò iniquæ & deſperatæ cauſæ argumentum! Convitia ſcilicet & querelæ litigatoris de causâ dejecti, adverſus legitimum judicium reclamantis. XXVIII. 7. Sept. an. 1690. Edita. an. 1693. Pag. 10. Pag. 5. Pag. 9. Pag. 12.

An reponet iterum ex veteri novatorum querelâ, non temerè reprehendi hodiernorum Pontificum Decreta, quæ antiquæ XXIX.

Eccleſiæ, & veterum Conciliorum Doctrinæ adverſari videantur. Atqui decretum Alexandri VIII. de quo hîc diſputatur, eſt hujuſmodi ; ſiquidem Dogma ignorantiæ invincibilis , à peccato non excuſantis , quod in eo damnatur , ſtabilitum eſt in Synodo Palæſtinâ , contra Pelagianos, qui nobiſcum ſentiebant, ignorantiam invincibilem juris naturalis, à peccato excuſare.

Hæc inquam nemo Theologus affectu partium liber reſpondebit. Nam Doctores Catholici falſitatem illius aſſumpti ſeu ſecundæ partis hujus argumenti egregiè oſtenderunt, Synodumque Palæſtinam ab eâ calumniâ vindicarunt. Quin & mera fallacia eſt prima propoſitio, quâ aſſeritur Eccleſiam Catholicam poſſe diverſis temporibus oppoſita Dogmata definire. Cum enim hodierna, non ſecùs atque antiqua, ſit vera Chriſti Eccleſia, non potuit ab unâ definiri quod fuerit ab aliâ reprobatum: non potuit Eccleſia , tempore Divi Auguſtini , ſancire, quod hujus noſtræ ætatis Eccleſia rejicit.

XXX. Deinde ſicut cum duæ leges oppoſitæ ſunt, certa incertæ eſt præferenda : ita cum proponuntur duo aliqua Eccleſiæ decreta, certum unum, aliud dubium ; æquum eſt ut certum prævaleat dubio : Atqui ipſis Janſenianis, nec certum, nec evidens eſt,

vel

Digitized by Google

vel ab antiquâ Eccleſiâ definitum, vel ab Auguſtino creditum, quòd v. g. ad merendum & demerendum ſufficiat libertas à coactione, nec requiratur libertas indifferentiæ; hoc enim pauci ipſi ſegreges exiſtimant: Contrà verò certum ac notiſſimum eſt, ab Eccleſiâ hujus temporis oppoſitum doceri ac credi. Ergo hæc ejus Sententia eſt alteri præferenda.

Idem dicendum de ignorantiâ invincibili. Affirmat Janſenius, ejuſque Aſſeclæ, ignorantiam invincibilem juris naturalis in ſtatu naturæ lapſæ non excuſare à peccato, eamque fuiſſe ſententiam D. Auguſtini, & veterum Eccleſiæ Conciliorum. Hæc ſanè Janſenii ſententia non eſt certa & evidens, cum reliquæ Theologorum ſcholæ oppoſitum cenſeant; Dogma ſcilicet ignorantiæ invincibilis à peccato non excuſantis, nec ab Auguſtino traditum, nec à Synodo Paleſtinâ ſancitum. At certò & clarè conſtat contrarium à Romano Pontifice Alexandro VIII. fuiſſe definitum: eſt igitur certa illa ac notiſſima ejus Definitio, incertæ ac dubiæ præferenda. Atque hæc ex occaſione dicta ſint ad confirmandum Dogma ignorantiæ invincibilis à peccato excuſantis. Quod argumentum uberiùs diſceptandum relinquimus Auctoribus ſuprâ indicatis, qui rem ex profeſſo tractarunt. Conceſſis

itaque prolixè duobus ſuperioribus poſtutatis; quòd detur interdum ignorantia invincibilis ſaltem partis alicujus juris naturalis; & quòd illa excuſet à peccato; tertium planè rejicimus, in quod unum ferè collineat hæc diſputatio noſtra. Negamuſque eum qui ſequitur opinionem minùs probabilem faventem libertati, in concurſu probabilioris ſtantis pro lege, eum, inquam, habere ignorantiam invincibilem legis; ac proinde ex eo capite, à peccato excuſari. Cujus noſtræ Aſſertionis ratio multiplex afferri poteſt.

1. Ratio quâ Prob ignoran. invincibilē non eſſe conjunctam cū opin. minùs Prob.

Prima eſto. Ut aliquis cenſeatur habere ignorantiam invincibilem legis, neceſſe eſt ut nullam habeat ejus notitiam, ſed neque dubitationem. Atqui falſum eſt, eum, qui judicat probabilius eſſe Legem exiſtere, quàm non exiſtere; nullam habere notitiam legis, nec dubitationem de illâ: Ergo falſum eſt eum, qui judicat probabilius eſſe legem exiſtere, quàm non exiſtere, habere ignorantiam invincibilem legis. Minor propoſitio eſt per ſe nota. Quia motivum omne ſeu probabilius, ſeu probabile repræſentans intellectui exiſtentiam legis, hoc ipſo ingenerat ejus notitiam; & actus quo intellectus, ex tali motivo, judicat legem exiſtere, eſt ipſamet notitia, & cognitio legis.

Prima verò propoſitio videtur adeò conſentanea rationi ; ut aſſerat Vaſques, inſignes Doctores, qui eam à ſe traditam, initio, rejeciſſent, re deinde attentiùs exploratâ, ultrò admiſiſſe, eamque ſcriptis ſuis in publicum editis docuiſſe. Sic autem utraque ejus pars probari poteſt. Primò quòd illa dici non poſſit ignorantia. Quia ut res aliqua dicatur penitus ignorari, nulla planè in animo noſtro vigere debet ejus notitia, nec prima quidem ejus cogitatio ; ſi enim aliqua ejus notio quantùmcumque tenuis habeatur, dici quidem poteſt, eam non planè ſciri, nec perfectè cognoſci ; affirmari tamen non debet eam penitus ignorari. Quamobrem qui negant in homine adulto dari poſſe ignorantiam Dei, ex eo probant ; quòd nullus homo adultus reperiri poſſit, qui non habeat ideam, & notionem aliquam Dei, aut ſaltem dubitationem : *Et qui*, ut ſcitè ait Romanus Orator, *Etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat, non tamen habendum ſciat.*

Inſ. 2. d. 23. pag. 539. 1. col. n. 3. n. 6.

De leg. n. 161.

XXXII.

Secunda pars, Quòd illa ignorantia non debeat invincibilis appellari, probatur. Quia ſi homo ille habeat primam Dei, ejuſque legis notionem, aut ſaltem dubitationem ; tenetur rem tanti momenti ulteriùs indagare, & dubitationem illam

Digitized by Google

examinare, donec clariorem rei notitiam aſſequatur. Si id præſtare omittat, erit hæc ejus ignorantia ſupina, & craſſa, non invincibilis.

XXXIII. 2. Ratio Quâ idẽ Prob

Altera Ratio, Quâ probatur ignorantiam invincibilem Legis cum opinione minùs probabili, in concurſu probabilioris, non eſſe conjunctam, ita proponitur: Qui prudenter & gravibus rationibus ductus judicat rem aliquam exiſtere; non ignorat ejus exiſtentiam; aut ſi illa appellatur ignorantia, non eſt invincibilis, neque excuſat à peccato: Atqui Ille qui in prædicto opinionum concurſu, minùs probabilem ſequitur, prudenter judicat legem exiſtere: Ergo non ignorat exiſtentiam legis ignorantiâ, quæ ſit invincibilis, & quæ à peccato excuſet. Minor certa videtur. Nam illud judicium eſt prudens, quod nititur gravibus rationibus, & fundamentis idoneis ad illud formandum. Ille autem qui in prædicto opinionum conflictu, minùs probabilem eligit, judicat nihilominùs oppoſitam, quæ aſſerit exiſtentiam legis, fulciri gravioribus ac tutioribus fundamentis, quæ illam probabiliorem efficiant: Ac proinde prudenter judicat; aut judicare poteſt Legem exiſtere.

Confirmatur ad hominem. Intellectus inter duas opiniones conſtitutus, quarum

una probabilis, altera probabilior apparet, cognoſcit ſe prudenter judicare poſſe legem non exiſtere; Quia, inquiunt Auctores benigni, habet motivum grave & validum, ad illud ſentiendum: Atqui ſimul videt motiva graviora & validiora quæ ſuadent legem exiſtere: Ergo cognoſcit ſe prudenter imò prudentiùs judicare poſſe, legem exiſtere. Ter. q. 10.

Probatur jam major propoſitio noſtræ argumentationis. Cum aliquis ob gravia motiva prudenter judicat, aut cognoſcit ſe prudenter judicare poſſe, rem aliquam exiſtere; dici non poteſt, quòd rem hujuſmodi non cognoſcat, & quòd eam ignoret, invincibili præſertim ignorantiâ; ſed ad ſummum dici poteſt quòd eam obſcurè cognoſcat. Illa autem obſcura cognitio non arguit invincibilem ignorantiam. Quod in hunc modum declaratur.

XXXIV. Si Quid juvaret ad hujuſmodi ignorantiam maximè obſcuritas cognitionis: Atqui ad hoc planè non juvat. Siquidem cognitio obſcura eſt illa quæ pauciores, minùs obſcura quæ plures diſtinguit perfectiones objecti: ſed deſtinguere pauciores, deinde plures perfectiones objecti non eſt ignorare objectum; imò eſt illud verè cognoſcere, non tamen clariſſimè, & evidenter. Qui defectus omnimodæ claritatis, & evidentiæ non

Digitized by Google

arguit invincibilem rei ignorantiam; Quæ videtur eſſe palmaris adverſariorum hallucinatio. Quippe ex eorum principiis manifeſtè efficitur, ignorare invincibiliter nihil aliud eſſe, quàm rei evidentiâ carere; quæ Doctrina, ut meliori in lumine collocetur, ſic placet ab iis ſciſcitari.

Cum dicitur legem ignorare invincibiliter illum, qui ex opinione minùs probabili operatur, interim dum graviora motiva, & clariores rationes ei ſuadent legem exiſtere; vel illa ignorantia eſt defectus omnis cognitionis repræſentantis legem exiſtere; vel eſt defectus cognitionis repræſentantis clariſſimè, & evidenter exiſtentiam legis. Si primum dixeris, certè non eſt hujuſmodi ignorantia invincibilis in eo, qui dum ſequitur opinionem minùs probabilem, fatetur videre ſe, quòd motiva ſuadentia exiſtentiam legis, ſint graviora. Nam ſi cognoſcit gravitatem earum rationum, ac motivorum; ecce, illa jam excitant in ejus animo cognitionem legis ſaltem confuſam; imò clariorem cognitione aliâ, quâ, non exiſtentia legis repræſentatur. Si per ignorantiam legis intelligas defectum cognitionis clariſſimè, & evidenter repræſentantis exiſtentiam legis; illa neque eſt propria, & germana ignorantia, ut modò dicebam; vel ſi ignorantiam

Digitized by Google

vocari placet, non eſt illa quidem invincibilis, de quo potiſſimùm diſceptatur; illud autem multiplici ratione conficitur.

Prima ratio eſt iſta. Si illa diceretur ignorantia invincibilis, quæ ſit defectus cognitionis clariſſimæ, & evidentis; ſive quæ vinci non poſſit, niſi per ſcientiam & evidentiam; ſequeretur ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato; quod eſt contra intentum iſtorum Auctorum, & evertit eorum hypotheſim. Probatur, hoc modo. Cum opinio favens legi eſt unicè probabilis, ita ut oppoſita neque probabilis ſit, neque tamen falſa evidenter appareat; nefas eſt iſtam ſequi, neque excuſatur à peccato qui ejus auſpiciis operatur: Ille tamen habet ignorantiam invincibilem legis: Non excuſatur igitur à peccato, qui habet ignorantiam invincibilem. Major eſt certa; cum enim fateantur Auctores benigni contingere poſſe, ut pars una Catradictionis ſit Probabilis, altera improbabilis; peccabit ſanè qui iſtam ſequetur, quia operabitur imprudenter; maximè cum ſupponatur partem, quam amplectitur, eſſe minùs tutam, ac legi oppoſitam. Probatur jam minor propoſitio, ex principiis Auctorum quos impugnamus. Illa eſt ignorantia invincibilis, quæ non poteſt vinci niſi per Scientiam & evi-

XXXV.

1. Ratio quà probatur carentiam evid. non arguere ignorantiá invin.

Teriil: 3. E. S. Au. 13.

Digitized by Google

dentiam ; ſive ibi eſt ignorantia invincibilis, ubi nec eſt, nec eſſe poteſt, certa & evidens cognitio objecti : Atqui ille qui adhæret opinioni improbabili, dum videt oppoſitam, quæ favet legi, eſſe Probabilem, ille, inquam, non cognoſcit certò, & evidenter legis exiſtentiam : Ergo invincibiliter legem ignorat. Equidem non habere illum cognitionem legis certam & evidentem ex eo conſtat ; quòd ſtatuamus rationes ſuadentes exiſtentiam legis, eſſe ſolùm probabiles, & fundare judicium merè opinativum. Judicium autem hujuſmodi cum probabilitatis metas non excedat, nunquam aſſequitur evidentiam; convenit enim inter omnes opinionem probabilem eſſe illam, quæ fulcitur motivo gravi quidem, ſed fallibili, & incerto; quæ nititur rationabili fundamento, at citra evidentiam.

XXXVI. Confirmatur. Peccaret ille, qui ſequeretur quamcumque opinionem, ex eo præciſè, quòd ſit probabilis, ſi hujuſmodi probabilitas tenuis, & admodùm exigua foret. Hoc enim apertè deducitur ex Decreto Innocentii XI. in quo cenſurâ notatur ſententia Aſſerentium : *Ad ſecuritatem conſcientiæ ſufficere opinionem quamcumque probabilem, modò à probabilitatis finibus non exeatur.* Atqui ille, qui conſcientiam regeret ex tenui illâ probabilitate, non

Digitized by Google

haberet evidentiam , & certitudinem ; adeòque haberet ignorantiam invincibilem exiſtentiæ legis ; quia ſicut probabilitas opinionis oppoſitæ legi , quantùmvis exigua continetur intra fines probabilitatis; ita probabilitas opinionis quæ legi favet, quantùmcumque magna , iiſdem terminis definitur ; ac proinde ad certitudinis & evidentiæ laudem nunquam accedit. Ex quo fit omnino, ut opinio multùm, imò magis probabilis de exiſtentiâ legis , quæ viget in ejus mente, qui tamen ſequitur minùs probabilem, non conſiſtat cum ignorantiâ invincibili ; aut quòd hujuſmodi ignorantia non excuſet à peccato.

XXXVII

Dices qui ageret vi opinionis improbabilis, aut exiguè probabilis, in concurſu oppoſitæ maximè probabilis, non laboraret ignorantiâ invincibili ; adeòque non excuſaretur à peccato ; quia haberet certitudinem,& evidentiam de exiſtentiâ legis. Nam quando nulla eſt ratio , vel eſt tenuiſſimum fundamentum pro unâ parte contradictionis, v. g. quòd lex non exiſtat ; pars altera cenſeri debet certa & evidens : quare ſi ſequatur opinionem improbabilem legi adverſantem , peccat omnino : quia pars oppoſita quæ eſt maximè probabilis , in eo caſu habenda eſt certa : ac proinde agit contra conſcientiam quiſquis eam non ſequitur; neque

Teril. ſupra 3.

Digitized by Google

excuſari poteſt per ignorentiam invincibilem legis, quâ adeò non offunditur, ut etiam legem certò cognoſcat.

Sed contra. Ponamus Titium incertum animi duos Doctores conſulere de caſu aliquo ſingulari, qui raró contingat; atque illos, re ſedulò examinatâ, reſpondere, licitam omnino actionem quam meditatur, nullâque lege prohibitam: cumque ille, qui fateatur amare ſe opiniones ſeveriores, ſciſcitari pergat an iſta probabilior ſit; addit unus ex illis nullam ſibi quidem rationem occurrere, quâ opinio contraria probabilis efficiatur; alter ait unam offerri, ſed ita tenuem, ut eâ planè moveri non debeat. Titius ſanè eorum Auctoritate ductus prudenter agit, ac rem tutò exequitur; illi tamen non eſt certum, & evidens nullam eſſe legem, quâ ſua illa actio prohibeatur: Quia videlicet certum non eſt homines illos eſſe infallibiles; unde enim hoc privilegium haberent? Non eſt certum non ſubeſſe rationes oppoſitas validiores, quæ ipſos, quanquam Doctos & Sapientes lateant; quas alii Acutiores ac Perſpicatiores invenirent: Ergo ex eo quòd pars una contradictionis aut nullam, aut tenuiſſimam habeat probabilitatem, non fit ut pars oppoſita, quæ eſt unicè probabilis, aut longè probabilior, certa evadat.

Digitized by Google

Confirmatur illa reſponſio in gratiam Amici Theologi qui dum hæc noſtra legeret, exiſtimabat etiam ipſe ex oppoſitâ ſeu nullâ ſeu tenui probabilitate , emergere in parte alterâ Evidentiam Moralem. Confirmatur inquam. Cum homo Doctus & acuti ingenii verſatur in eâdem deliberatione , an res aliqua facienda ſit, an omittenda ; & illi quidem vel nulla , vel tenuiſſima occurrit ratio, quâ probetur actionem , quam meditatur , licitam eſſe ; unam autem videt bonam , & valde probabilem, quæ ſuadet actionem eſſe illicitam ; ſanè hujuſmodi ratio , ſeu ob defectum rationis oppoſitæ , ſeu ob concurſum valde tenuis & infirmæ , non illicò apparet certa ; neque generat Evidentiam ſeu Phyſicam ſeu Moralem , in animo viri illius Docti , & Perſpicacis , qui vim ejus & robur omne optimè penetrat. XXXVIII.

Probatur illa aſſertio. Evidentia Moralis fundat aſſenſum , & judicium moraliter infallibile ; hoc eſt judicium , quod licèt phyſicè falli poſſit , de facto tamen nunquam fallatur ; ita ut illa errandi potentia de facto nunquam reducatur ad actum ſecundum ob ſummam ejus difficultatem. Rurſus fundat aſſenſum firmum ac minimè vacillantem , excluditque omnem formidinem. Hæc natura , hæc poteſtas Evidentiæ Moralis ab omnibus Theologis recepta.

Digitized by Google

Atqui ratio illa non habet eas dotes in animo viri illius Docti & Sagacis ; qui ſanè non judicat , eam eſſe vim rationis illius, ut licèt poſſit ei ſubeſſe falſitas , nunquam tamen eventurum ſit , ut falſa deprehendatur. Quod omnino requiritur ad Evidentiam Moralem.

Deinde , Evidentia Moralis fundat aſſenſum firmiſſimum , omnemque prudentem formidinem excludit. Quis autem credat virum illum Doctum aſſuetum validis ſolidiſque dumtaxat rationibus adhærere, daturum iſti aſſenſum ita firmum ; ut nullo modo vereatur , ne illa aliquando , & in quocumque rerum articulo falſa deprehendatur ? Cum enim optimè noverit eam in ſe tantummodò probabilem eſſe , non patietur ſagacem ſuum intellectum firmiſſimè illi , & abſque ullâ formidine aſſentiri.

XXXIX. Confirmatur. Cum aliquis videt puerum à Parocho baptizari , aut à Sacerdote faciente ad aras hoſtiam conſecrari ; ille certè nullam habet ſeu rationem probabilem, ſeu dubitationem quòd puer non ſit ritè baptizatus , aut hoſtia ritè conſecrata : & tamen non eſt ei moraliter evidens , puerum eſſe ritè baptizatum , aut hoſtiam ritè conſecratam : Ergo ex eo quòd nullum ſit dubium aut probabilis ratio partis oppoſitæ , non ſequitur partem alteram eſſe moraliter evidentem.

Digitized by Google

Probatur prima pars aſſumpti. Quia ſi eſſet aut dubium prudens, aut vera probabilitas puerum non fuiſſe ritè baptizatum, nec hoſtiam ritè conſecratam; poſſet tùm Baptiſmus, tùm hoſtiæ Conſecratio iterari. Secunda verò pars probatur. Quia ſi eſſet moraliter evidens hunc puerum eſſe ritè baptizatum, & hanc numero hoſtiam ritè conſecratam; circa utrumque elici poſſet actus fidei. Quod vulgò Theologi negant. Quia quando eſt moraliter evidens, propoſitionem ſingularem ſub univerſali revelatâ contineri; illa ſingularis propoſitio cenſetur eſſe de Fide. Quâ ratione probant Theologi divinam Autoritatem Conciliorum univerſalium v. g. Concilii Tridentini; Quia cum propoſitio univerſalis revelata ſit, ac proinde fide divinâ credatur; quòd nempe Concilio Legitimo aſſiſtat Spiritus Sanctus, & aliunde morali certitudine conſtet hoc Concilium, puta Tridentinum, eſſe legitimè congregatum; ex eo ſit omnino, ut ſingularis hæc propoſitio, Spiritus Sanctus aſſiſtebat Concilio Tridentino, cenſeatur in univerſali ſufficienter revelata.

Cardin. de Lugo de fide d. 1. ſect. 13. §. 4.

Atque hæc paulò fuſiùs diſputata omnino demonſtrant, ex eo quòd, in unâ partè contradictionis aut nulla, aut exigua probabilitas appareat; non continuò ſequi partem oppoſitam eſſe moraliter evidentem,

Digitized by Google

ſi non eſt moraliter evidens , habet ſanè defectum evidentiæ de exiſtentia legis , qui agit ex minimâ illâ probabilitate partis oppoſitæ : cum autem certum ſit , peccare illum ; dicendum eſt , peccari cum defectu evidentiæ , adeoque cum ignorantia invincibili ; ſi , quod aïunt, carentia evidentiæ ſit ignorantia invincibilis.

XXXX. 2. Ratio Quâ Prob. defectum Evidentiæ non eſſe ignorantiã invincib.

Secunda Ratio , quâ probatur defectum certitudinis , & evidentiæ non eſſe ignorantiam invincibilem , quæ à peccato excuſet , ita conficitur. Nemo dubitat peccare illum , qui operatur cum dubio practico , an actio , quam hîc & nunc ponit , ſit honeſta , an aliquâ lege prohibita : Atqui ille verſatur in eâ ignorantiâ , quam modò deſcripſimus : Ergo qui agit , cum hujuſmodi ignorantiâ , peccat.

Prima Propoſitio Dogma eſt Chriſtianæ Theologiæ ; quæ docet Hominem in eo dubitationis æſtu ancipitem , ſi rem aggrediatur , exponere ſe peccandi periculo ; illudque amare , contemnere legem divinam ; cum ita omnino comparatus ſit ; ut rem prorſus exequi velit , ſeu permittatur à Deo , ſeu ab illo prohibeatur. Unde ortum illud Theologorum Axioma, emergens in procinctu actionis cujuſpiam dubium , eſſe illicò deponendum , animumque ad partem tutiorem convertendum.

Digitized by Google

Probatur jam altera pars, ſubortam videlicet dubitationem de honeſtate actionis, cum ignorantiâ invincibili, de quâ eſt ſermo, eſſe conjunctam. Conſcientia tunc eſt dubia, cum intellectus, ſeu quòd nullæ occurrant rationes, quæ ſuadeant aut legem exiſtere, aut non exiſtere; ſeu quòd ad illud ſuadendum non videantur idoneæ, neutri parti adhæret, ut veræ; ſed aſſenſum cohibet, & judicium omne ſuſpendit: Atqui intellectus eo loco conſtitutus jacet in ea ignorantiâ, de quâ loquimur, quæ nempe ſit defectus cognitionis certæ, & evidentis de exiſtentiâ legis; ergo conſcientia dubia invincibiliter legem ignorat.

Confirmatur. Ignorantia invincibilis, juxta ſententiam benignam, perſeverat in conſcientiâ probabili; Ergo etiam, imò à fortiori, in conſcientiâ dubiâ. Nam ſi motiva gravia, quibus nititur, & probabilis & probabilior opinio, non habent vim expellendi ex animo operantis, ignorantiam invincibilem legis; non arcebitur illa certè à conſcientiâ dubiâ, in quâ non vigent hujuſmodi graves, & idoneæ rationes. Ergo ſi homo operetur perſeverante dubio, operabitur perſeverante ignorantiâ invincibili, ac proinde non peccabit. **XXXXI.**

Dices, Auctores benigni ſanè non inficiantur dubium practicum conjunctum eſſe

Digitized by Google

cum ignorantiâ, & conſientiam dubiam incertam eſſe de rei veritate; ſed contendunt ignorantiam & certitudinem illam dici non debere invincibilem. Quia ille qui dubitat de honeſtate actionis, poteſt, & debet rem ulteriùs examinare. Si examinare pigeat, craſſa eſt, non invincibilis ignorantia. Si adhibitâ diligentiâ, dubium perſeverat, licitum illi, quam voluerit partem amplecti: Quia

Ter. q. 23. n. 9. ſi dubium vinci non poteſt, nec legis exiſtentia clarè cognoſci, lex incerta remanet; ac proinde non obligat. Unde fit ut ille poſſit dubium deponere, hoc modo, quandoquidem lex mihi incerta eſt, licet quam voluero, partem etiam minùs tutam amplecti.

XXXXII. Sed contra. Reſponſio ſupponit dubium poſſe deponi, adeòque ignorantiam, quam includit, invincibilem non eſſe, neque à peccato excuſare. Verùm ſic arguo. Ut dubium deponatur, præire debet judicium reflexum; quo homo ſtatuat, dum certa legis notitia, nullo ſuo labore obtineri poteſt, fas eſſe ſibi dubitationem omnem excutere; & in ejus partem ſe flectere, quæ magis arriſerit, ſeu illa tutior, ſeu minùs tuta videatur. Deinde ſubſequi oportet Imperium voluntatis; quo intellectui jubetur hæſitationem illam, dubiumque deponere. Fac tamen hominem illum ancipiti iſtâ cogitatione diſtractum, objecti præſentiâ, aut convenien-

tiâ

Digitized by Google

tiâ ſuaviter invitante, operari, priùs quàm & judicium illud reflexum, & voluntatis imperium eliciat. Hoc enim contingere poteſt, tum Rudi, & Plebeïo homini; qui ob ingenii tarditatem dubitare quidem novit, at non judicia iſta reflexa, iſtamque cogitandi, & decernendi prudentiam adhibere: Tum viro Docto, & Perſpicaci; quia, ut optimè notat Auctor diſſertationum de uſu licito opinionum probabilium, hujuſmodi dubitatio de honeſtate operationis, non neceſſitat intellectum; ut pro poſteriori formet judicium iſtud reflexum de dubio deponendo, & dictamen practicum quo ſtatuat licitam eſſe actionem, ad quam ſe in præſentiâ comparat. Si enim res ita haberet, non poſſet homo poſt illam dubitationem operando peccare; quandoquidem ad dictamen illud practicum, quod actionem ejus honeſtat, neceſſariò moveretur. Fac itaque in iſto dubitationis æſtu, ante judicium reflexum, opus exercere, de quo dubitat an ſit licitum vel illicitum; ſanè peccat: quia cum dubitans operetur, exponit ſe periculo violandi legem prohibentem. Aliunde ignorat invincibiliter legem; quia fateris hujuſmodi ignorationem cum dubio eſſe conjunctam: peccat igitur etiam ille qui invincibiliter legem ignorat. Diſſ. 7. n. 65.

XXXXIII Dices iterum. Sicut dubitatio non neceſ-

Digitized by Google

ſitat intellectum ad judicium reflexum, & dictamen practicum de honeſtate operationis; ita neque impedit hos prudentiæ actus. quare homo ille non ideo peccat, quia dubitans operatur; ſed quia judicium, & dictamen illud practicum ſuſpendit, neque adhibet diligentiam omnem ad veritatem indagandam, & dubium removendum. Unde fit ut ignorantia cum dubio illo conjuncta, ſit craſſa, & voluntaria, actuſque omnes qui eam conſequuntur, peccato, ac pœnæ obnoxii.

Verùm inſtantia illa non habet vim in homine Ruſtico ac plebeïo, in multis Mercatoribus, aliiſque, qui non tenentur confugere in dubio, ad judicium, & dictamen illud practicum; ita ut ejus omiſſio ſit illis culpæ tribuenda. Ratio eſt, quia genus illud hominum ne cogitat quidem de illo judicio reflexo, aut de obligatione partem in dubiis tutiorem eligendi: ſeu illa incogitantia oriatur ex ingenii tarditate, quâ conſtat eos, nullâ ſuâ culpâ, ſed ſolo naturæ vitio præpeditos; ſeu oriatur ex defectu inſtructionis, ut contingit in tenuibus illis Mercatoribus, qui ruri ſemper mercaturam exercuere; ubi à Parochis parùm doctis de iſtâ deliberandi prudentiâ nihil unquam audierunt. Cum igitur, ſtante dubio, contractum aliquem celebrant, aut aliud quippiam operantur; non ideo ſanè peccant, quia ſuſ-

Digitized by Google

pendunt hujuſmodi judicium ; quod nec poſſunt, nec tenentur elicere. Peccant igitur ex eo precisè, quòd operentur cum conſcientiâ dubiâ; adeòque peccant ſtante ignorantiâ invincibili.

Dices Tertiò. Eſto ignorantia legis conjuncta cum opinione minùs probabili ſuperari poſſet; erit nihilominùs invincibilis, & à peccato excuſabit. Probatur, quia licèt homo poſſit ignorantiam vincere adhibitâ majori diligentiâ ad veritatem indagandam; ad illud tamen non tenetur, quando occurrit ratio probabilis pro alterâ parte legi oppoſitâ, cui intellectus præbet aſſenſum. Eſt enim ea Doctrina Sancti Thomæ, quòd ignorantia illa ſit *Inculpabilis, ſeu invincibilis, quæ verſatur circa id, quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur.* Atqui ille qui ex probabili ratione judicat actionem aliquam nullâ lege prohiberi, non tenetur ſcire quòd lex hujuſmodi exiſtat. XXXXIV. Carden. d. 15. c. 9. Quodlib. 7. a. 15.

Vel enim teneretur comparare ſcientiam certamque notitiam legis ; quæ profectò, cum adhibitâ quâcumque diligentiâ haberi non poſſit, ut ſuperiùs dictum eſt, ad eam acquirendam non obligatur : vel teneretur ſuam illam ignorantiam in dubium reſolvere, in eo autem dubio partem legi faventem, utpote tutiorem amplecti : at neque neceſſe eſt, ut in eam dubitationem ſe ultrò

Digitized by Google

conjiciat ; quandoquidem poteſt illam prudenter abjicere. Prudenter, dixi, nam illud prudenter agitur, quod fit ob rationem Sapientum judicio, urgentem, & gravem: At motivum probabile eſt hujuſmodi : Ergo dubium, quod ex eo motivo deponitur, prudenter abjicitur. Porrò quòd ratio probabilis ſit magnum, & grave fundamentum, etiam in concurſu probabilioris, patet ex eo; quòd notio motivi probabilis ſignificet eſſe illud ita grave, ut idoneum ſit, quòd viros ſapientes, & probos ad aſſenſum inducat.

Reſpondeo totam illam argumentationem Principium petere, atque id ipſum ponere ut certum, quod eſt in controverſiâ. Primum enim membrum ſupponit ignorantiam vinci debere per evidentiam legis promulgatæ; neque peccare illum qui à lege deficit, niſi exiſtentia legis ab eo certiſſimè cognoſcatur : Hoc autem negant Auctores ſeveri, qui volunt ſufficere ad peccandum eam legis notitiam, quam major probabilitas parit; & quoniam unuſquiſque poteſt illam notitiam acquirere, majori Probabilitati adhærendo, ad illud certè tenetur. Cum itaque pars iſta Argumentationis ſupponat ignorantiam legis vinci non poſſe per motiva merè probabilia; ac proinde ad eam vincendam non obligari illum, cui hujuſmodi ſolùm motiva ſuppetunt ; ſtatuit ut

Digitized by Google

Principium certum illud ipſum, quod negatur, & ad quod oppugnandum incommoda,& argumenta ſuperiùs adducta recurrunt.

Alterum Argumentationis membrum ſupponit eum qui ſequitur opinionem minùs probabilem, in concurſu tutioris, & probabilioris prudenter operari; & dubium, ſi fortè aliquod ſuboriatur, prudenter deponere. At hoc ipſum quæritur, an prudens ſit dictamen practicum, quo aliquis in eo caſu movetur ad operandum; & negatur à Doctoribus ſeverioris diſciplinæ ſtudioſis: quorum aliqui aſſerunt motivum, quod ſeorſum, & extra concurſum, eſt grave, & idoneum, quòd viros Sapientes moveat ad aſſenſum, vim illam amittere in conflictu gravioris motivi contrarium ſuadentis. Sicut pondus in unâ lance ſtateræ poſitum eam deprimit; at vim non habet eamdem, cum pondus gravius in adverſâ lance collocatur. Uno verbo, ratio illa minùs probabilis vim habet in actu primo, non in actu ſecundo; in ſenſu diviſò, non in ſenſu compoſito, impellendi ad aſſenſum virum Prudentem. Hoc eſt, ſi ratio illa ſolitaria foret, poſſet vir Sapiens illi aſſentiri; ſed in concurſu multò gravioris pro parte oppoſitâ, prudens ſanè non fuerit qui illâ moveatur. XXXXV.

Alii è defenſoribus ſententiæ rigidioris docent vi rationis minùs probabilis, pruden-

Fund. Theol. moral. Diſſ.3. n. 51. Diſſ. 6. n. 24.

ter aliquid agi, prudenter dubium deponi ab eo, cui hujuſmodi ratio, poſt ſufficientem adhibitam diligentiam ad inquirendam veritatem, probabilior, non ab eo cui minùs probabilis videatur. Probant quia in eo concurſu, hujuſmodi ratio non eſt fundamentum grave & magnum, ſufficiens ad extorquendum aſſenſum à viro probo & Sapiente; nemo enim Prudens unquam permotus eſt eo motivo, in ſimili caſu, hoc eſt cognito ut minùs probabili.

XXXXVI. Neque dicas Doctores tres, aut quatuor, quorum Auctoritas efficit unam aliquam opinionem probabilem, v. g. quòd licitus ſit talis contractus, fuiſſe viros probos, & Sapientes; qui prudenter eam opinionem ſecuti ſunt; ac proinde prudenter acturos etiam illos, qui eorum exemplo, eidem aſſentiri, & juxta illam operari voluerint.

Reſpondeo longè diſſimilem eſſe utrorumque conditionem. Siquidem Doctores illi opinioni minùs probabili in actu exercito aſſenſum præbuerunt, quod non eſt contra prudentiam: iſti verò in actu ſignato, hoc eſt, cognitæ, ut minùs probabili aſſentiuntur: quod quidem, ſalvis prudentiæ legibus, fieri non poteſt.

Explicatur. Cùm viri Docti contra alios æquè Doctos, & numero plures, opinionem aliquam tuentur; defendunt illi opinionem

Digitized by Google

re verâ minùs probabilem ; ſed quam ipſi exiſtimant probabiliorem. Cum enim Doctor Probus, & eruditus examinat ſententiam aliquam, in cujus diſceptatione videt Auctores ſibi invicem adverſantes; non aliam ob cauſam ad unam partem accedit; quàm quia hæc illi veriſimilior apparet, ejuſque fundamenta firmiora, & validiora fundamentis partis oppoſitæ, neque enim alia ratio afferri poteſt, cur ſe ad hanc potiùs quàm ad illam partem inclinet. Quod adeò verum eſt; ut nullus ſit Auctor, quin rationes, adverſariorum accuratè diſſolvat, ſuaſque longè validiores, ac firmiores eſſe contendat. Sanè qui in eligendâ opinione aliquâ hanc cautionem adhibet, imprudentiæ notam ſubire non poteſt.

At verò cum Petrus ſequitur opinionem, quam hujus, & quorundam aliorum Doctorum Auctoritas probabilem efficit, interim dum videt oppoſitam majori Auctoritate, & gravioribus Argumentis roborari; opinio illa mutat ſtatum, dum in Petri mente minùs probabilis apparet, quæ in aliorum intellectu probabilior apparebat : ac proinde abſque imprudentiæ notâ amplecti nequit, quam alii prudentiſſimè tuebantur.

Ex quibus omnibus patet Auctores tertiæ hujus inſtantiæ, ſupponere illud ipſum de quo quæritur ; & gratis aſſumere quod

Digitized by Google

negatur; dum volunt eum, qui utitur opinione minùs probabili, & minùs tutâ, non teneri ad vincendam legis ignorantiam, & certiorem ejus notitiam comparandam: quia videlicet Beneficio opinionis minùs probabilis prudenter, & cum laude operatur. Quod quàm gratis, & quàm falſò aſſumatur, abundè probant, quæ hactenus diximus. Muniunt hæc eadem viam ad inſtruendam alteram rationem; quâ probamus ignorantiam invincibilem, & inculpabilem legis non eſſe conjunctam cum opinione minùs probabili.

XXXVII. Novũ Arg. cõtra Ign. quâ dicitur excuſari qui ſequit. opin. min⁹ prob. & min⁹ tutã, ex eo quòd Lex incerta remaneat.

Itaque alterum caput ex quo probant ignorantiam conjunctam cum opinione minùs probabili excuſare à peccato, iſtud eſt; quia relinquit legem incertam: lex autem incerta non obligat: quod unum eſt è præcipuis fundamentis ſententiæ benignæ. Verùm vitioſum, ac ruinoſum eſt hujuſmodi fundamentum. Nam legis notitia, quam Major probabilitas affert, ſufficit ad peccandum, ſi cum eâ notitiâ legem violari contingat. Ratio eſt, quia lex cenſetur ſufficienter promulgata, cum rationibus probabilibus ejus notitia pervenit ad nos. Deinde cum in eo rerum articulo, in quo aliquis fretus opinione minùs probabili operatur, non poſſit habere certam, & evidentem legis notitiam, ut fatentur Auctores benigni ſanè Deus illam non exigit, alioqui impoſ-

Prob. 1. legem ei ſufficienter notam ad peccandũ.

Digitized by Google

ſibile poſtularet. Res declaratur exemplo.

Ponamus Petrum lege divinâ teneri ad reſtitutionem Fundi, quem hactenus bonâ fide poſſedit. Deus certè vult ut ſuam illam legem obſervet; ac proinde ut eam cognoſcat: cum intelligat Petrum alioqui virum Probum, neque paratum eſſe, neque teneri ad hujuſmodi reſtitutionem, niſi hujus ſuæ obligationis conſcius ſit. At re diligenter examinatâ, Petrus conſcientiam omnino certam habere non poteſt; ſed dumtaxat magis Probabilem. Tenetur igitur ad cuſtodiam legis, illamque Deus ab ipſo exigit, eo tempore, quo nec evidentem obligationis ſuæ cognitionem aſſequi poteſt, nec aliam legis notitiam, quàm quæ judicio magis probabili comparatur. Ergo cum opinione minùs probabili in concurſu Probabilioris, lex non remanet incerta, eâ incertitudine, & obſcuritate, quæ excuſet à peccato.

Probatur hoc ipſum Argumento poſitivo. XXXXVIII Quia datur lex certa ad quam offendit ille, qui ſequitur opinionem minùs probabilem in conflictu probabilioris, & tutioris. Lex autem illa omnibus nota & clariſſimè promulgata ea eſt; quòd nemo peccandi periculo, ſe exponere debeat: *Qui enim amat periculum, peribit in illo*; at quiſquis in factâ hypotheſi, juxta opinionem minùs probabilem operatur, ex duplici capite in hoc

Prob. 2. Legẽ eſſe ei ſuffic. notã qui ſeq. op. minꝰ Prob. & minꝰ tutã

Eccl. 3. n. 27.

Digitized by Google

peccandi diſcrimen ultrò ſe conjicit.

Primò quidem conſentiunt Theologi errorem craſſum, & voluntarium, præſertim in materiâ morum, eſſe peccatum. At, qui opus aliquod aggreſſurus deliberat, an licitum ſit, vel illicitum; ſi opinionem minùs tutam, ac minùs probabilem amplectatur, certiſſimum adit errandi, adeòque peccandi periculum. Nam ille, qui videt in uno aliquo objecto plures, & certiores veritatis notas, quàm in alio; ſi primum illud deſerat, exponit ſe periculo errandi: Atqui major Auctoritas, & graviores rationes, quæ favent legi, ſunt notæ clariores, & certiora argumenta veritatis: Ergo qui eas deſerit, proximum errandi periculum incurrit: quemadmodum ille qui obſcuro & tenebricoſo Cœlo, viæ incertus, iter peragit, imprudenter faciat & aberrandi periculo ſe exponat; ſi peritos duces pluribus, & latè micantibus facibus inſtructos rejiciat, ut unius aut alterius cum tædis paucioribus, ac minùs illuſtribus præëuntium fidei ſe committat.

XXXXIX. Fateor quidem, ne ſcrupulum iſtum injicias; aliquando contingere, ut opinio minùs probabilis ſit vera, nec prorſus erret, qui eam ſequatur; ſed illud planè non obſtat, quominus prudenter judicetur, eum, qui ſic operatur, objicere ſe errandi periculo.

Digitized by Google

Nam ad Sapientis commendationem non pertinet, quòd res cadant, ut ipſe opinatur, vel quòd optata certò perficiat ; ſed ejus laus, ac munus eſt, ut finem honeſtum, puta veritatem animo ſibi proponat, & ad eam conſequendam adhibeat media magis idonea : Atqui major Auctoritas, & rationes validiores, quibus fulcitur opinio magis probabilis, ſunt media magis idonea ad inveniendam veritatem : Ergo vir ſapiens tenetur, & rationibus illis inhærere, & opinionem illam amplecti. Si ſecus fecerit, & hallucinandi graviter, & à lege Dei aberrandi periculo ſe exponit.

Dixi eum qui ſequitur opinionem minùs probabilem, errandi periculo ſe exponere : addo jam exponere ſe ſimul periculo cum dubio operandi. Quæ ſanè confidentia non eſt minùs peccato, & culpæ obnoxia. Hoc verô ita conficitur. Mercator vir probus, & prudens, ſed planè illiteratus Doctorem conſulit, an unus aliquis contractus licitus ſit. Audit ab illo eſſe in ſcholis opinionem, & quidem probabiliorem, ac tutiorem, quæ doceat illicitum eſſe : At ſibi videri licitum juxta aliam opinionem probabilem, quam ipſe Mercator tutâ conſcientiâ poſſit ſequi. Dico iſtud Doctoris reſponſum, vel dubitationem excitare in animo hujus hominis Religioſi, ac Deum metuentis, interim

Digitized by Google

dum contractum celebrat ; aut ſaltem exponere illum periculo de ejus honeſtate dubitandi ; ipſumque Mercatorem in iis Anguſtijs conſtitutum vel dubitare de honeſtate contractûs, vel verſari in periculo de eâ dubitandi in ipſo actu celebrationis contractûs.

Et verò ſi Theologus ipſe, qui docet, vel qui in praxi ſequitur opinionem minùs probabilem, vix poteſt, ut ſuperiùs probatum eſt, ope judicii reflexi, dubitationem aut cohibere, aut abjicere ; & dictamen practicum elicere de honeſtate ſuæ actionis : quî fiat ut Mercator, & ſimile illiteratorum hominum genus, qui nec judicii reflexi, nec dictaminis practici vel leviſſimam notionem animo perceperunt ; quî fiat, inquam, ut vim & prudentiam habeant hujuſmodi dubium compeſcendi ?

Fac tamen homines illos interdum dubium omne comprimere ; at verum nihilominùs erit, eos, tum ob minorem ingenii ſagacitatem, tum ob animum, non dico ſcrupulis vexatum, ſed in rebus ſalutis meticuloſum, ſe ultrò in periculum conjeciſſe, contractum cum dubio, ac titubante conſcientiâ celebrandi.

L. Res confirmatur hoc pacto ; cum aliquis in occaſionem peccandi proximam ultrò deſcendit ; ſingulari Dei Præſidio contingere poteſt, ut ſe quamquam loco in lubrico, à

Digitized by Google

lapſu contineat; peccavit nihilominùs, quia ſciens, & volens in peccandi periculum ſe conjecit. Ita fieri poteſt, ut Homo Religioſus ac timens Deum, qui utitur opinione minùs probabili, ac minùs tutâ, ſe a dubitando abſtineat, interim dum actionem exercet; at peccavit nihilominùs, qui ſe ultrò periculo objecerit cum dubio operandi.

Confirmatur ulteriùs. Celebris eſt controverſia, quam hîc ego diſceptare nolim, an Judici interroganti liceat Amphibologicé, ac verbis æquivocis reſpondere. Et pars quidem affirmans, mihi ſemper ex eo capite difficilis viſa eſt; quòd ille, à quo juramentum exigitur, quamvis fortè non mentiatur, exponat ſe mendacii perjuriique periculo. Dum enim à perito & exercitatiſſimo Judice crebris interrogationibus fatigatur: ſi in ſuâ illâ amphibologicâ negatione, aut affirmatione perſeveret, vix ex Judicis laqueis ſe expediet, quin eum loqui contra mentem, & falſum jurare contingat. Quare licèt ex hujuſmodi laqueis fortè ſalvus evadat; imprudens tamen, & cum magno perjurii periculo, ſe illis implicuit. Haud diſſimili ratione, cum Homo literarum rudis, probus tamen, & timoratæ, ut aiunt, Conſcientiæ, inter Legem, & cupiditatem conſtitutus videt opinionem libertati, & cupiditati faventem, in quam inclinat, eſſe minùs probabilem, ac LI.

Digitized by Google

minùs tutam ; periculum eſt ne inter operandum, dubitet de honeſtate ſuæ actionis ; ne ſuſpicetur eam vitioſam eſſe ; ne dubitet an cupiditate potiùs quàm ratione ducatur. Et quanquam caſu eveniret ut dubium illud vinceret, peccaret tamen ; quòd illud periculum, & velut proximam cum dubiâ conſcientiâ operandi, ac proinde peccandi occaſionem adiiſſet.

LII. Confirmatur denique, quia Auctores benigni tum Neoterici, tum Antiquiores fatentur opinionem probabilem, ac multò magis minùs probabilem, conjunctam eſſe cum formidine ; ita ut ille, qui aſſentiendo opinioni minùs probabili, ac minùs tutæ judicat actionem eſſe licitam, formidet tamen ne ſit illicita : Atqui ille qui operatur cum eâ formidine, exponit ſe periculo operandi cum dubio : Ergo qui agit juxta opinionem minùs probabilem ac minùs tutam, exponit ſe periculo operandi cum dubio ; ac proinde peccandi. Ut minor propoſitio clariùs probetur, fateor eſſe diſcrimen inter dubium & formidinem ; nec præcisè dubitare eum, qui formidat ne actio illicita ſit ; ſed contendo, in factâ Hypotheſi formidinem eſſe affinem dubio ; eumque qui agit cum eâ formidine, conſtitutum eſſe in confinio dubii, ſive in proximo periculo dubitandi ; ac proinde Divinam Legem violandi.

Digitized by Google

Declaratur ampliùs. Qui dubitat de honeſtate actionis, ſuſpendit omne judicium; An actio licita ſit, vel illicita. Qui formidat judicat, licitam eſſe; fieri tamen poſſe ut illicita ſit: judicat ſe non errare, fieri tamen poſſe ut erret. Quare formido non verſatur circa errorem; ſed circa poſſibilitatem errandi. Quibus poſitis, dico intellectum, qui ita aſſentitur; judico actionem eſſe honeſtam, fieri tamen poſſe ut ſit inhoneſta: judico actionem eſſe licitam, poſſum tamen errare, & falli: hunc inquam intellectum eſſe valde diſpoſitum, ut ſuſpendat judicium; adeòque ut dubitet de honeſtate actionis; dico facilem eſſe tranſitum ab iſto actu, poſſum errare, dum judico actionem eſſe licitam; ad iſtum alium; fortè erro dum judico actionem eſſe licitam. Non dico duos illos actus eamdem habere vim & poteſtatem; unus enim eſt formido, alter dubitatio: ſed aſſero eos eſſe ita affines; ut intellectus qui unum efficit, verſetur in magno periculo alterum eliciendi; intellectus præſertim hominis plebeii aut illiterati, qui proinde è formidine in dubium facillimè prolabetur. LIII.

Fulciri poteſt hæc ratiocinatio noſtra, Doctrinâ Auctorum, quos impugnamus, qui fatentur peccare illum, qui cum eâ formidine operatur, niſi eam repellat ope judicii reflexi; quod certò cognoſcat honeſta- LIV. Ter. q. 10. n. 25. 26.

Digitized by Google

tem operationis, & ad eam determinet ſpretâ illâ errandi peccandique formidine. Nam ſic urgeo. Errandi, inquis, peccandique periculo ſe exponit, qui operatur cum formidine; niſi illam expellat judicio reflexo, quo certus efficiatur de honeſtate operationis: At caret iſto judicio reflexo homo Plebeïus, & illiteratus; qui formidare quidem, hærere, dubitare novit, non judicia iſta reflexa exercere. Poſtquam enim Mercator audivit Doctorem unum aïentem probabile eſſe licitum illi; alterum, probabilius eſſe illicitum, celebrare contractum, quem meditatur. Quis credat eum domum reducem, tam acutè argumentari; evidens eſt licere mihi hunc contractum inire, quia ſequor opinionem probabilem; certum eſt autem & evidens eum, qui ſequitur opinionem probabilem, etiam in concurſu probabilioris, & tutioris, tutâ conſcientiâ operari. Quis credat eum ad judicium illud reflexum repente aſſurgere, imò certitudinem aſſequi, quam in eo judicio reperiri poſſe, tot viri Docti hactenus negavere?

Ex quo ſic ulteriùs inſto. Peccat qui operatur cum formidine, ne actio illicita ſit, niſi hujuſmodi formidinem repellat judicio reflexo, quod certum illum efficiat de honeſtate actionis: Atqui judicium illud certum & prudens in eo caſu, non modò vir

Ple-

Plebeïus, ſed nec Doctus quidem eliciat; quia ut jam ſæpè ſuperiùs dictum eſt, opinio probabilis in concurſu probabilioris, & tutioris huic judicio locum dare, ſeu, ut aïunt hoc judicium fundare non poteſt. Id quidem volunt adverſarii; ſed iterum principium petunt; & hîc quoque pergunt gratis aſſumere quod negatur.

Unum eſt quod huic noſtræ argumentationi opponi poſſe videatur; eam ſcilicet non modò uſum opinionis minùs Probabilis; ſed etiam magis probabilis, oppugnare; omnemque operantem in eas evidentiæ anguſtias compellere, quibus Janſeniani actionis cujuſlibet honeſtatem, meritumque concludunt. Etenim cum judicium omne merè Probabile adjunctam habeat errandi, peccandique formidinem, quiſquis indicio opinionis minùs tutæ, quanquam magis Probabilis operabitur, timebit ſanè ne fallatur; ne errore aut inordinato affectu occupetur, ex quo fiet, ut ſtatim dubitet de honeſtate actionis, vel ſit in periculo proximo dubitandi. LV.

Reſpondeo Formidinem utrique opinioni hærentem maximè diverſam, ac diſſimilem eſſe. Nam quæ opinioni Probabiliori annexa eſt, adeò levis ac tenuis videtur, ut tum à dubio, tum à dubitandi periculo longiſſimè recedat; cùm vir probus, & ſa-

Digitized by Google

piens ſingulari adhibitâ diligentiâ animadvertit ſe evidentiam de honeſtate objecti habere non poſſe, adhærendo tamen opinioni probabiliori, intelligit obtinere ſe notitiam de honeſtate hujuſmodi, quàm maximam aſſequi poteſt; ac proinde imprudentem omnino fore, qui circa illam, vel dubitatione aliquâ vel etiam formidine pulſaretur. Et ratio eſt, quia licèt hujuſmodi judicium non habeat evidentiam, & omnimodam certitudinem de honeſtate actionis; habet tamen ſecuritatem quandam moralem fundatam in majori illâ veriſimilitudine; quæ licet non extrahat judicium illud è ſtatu judicii Probabilis, excludit tamen prudentem formidinem; & ſi quæ remanet, eſt illa omnino exigua, itaut ad dubitandum nullo modo diſponat.

Diſſ. 10. n°. 75.

At ille, qui ductus opinione minùs probabili, aggreditur ad operandum, ſubeſt magna & gravis cauſa formidinis, quæ eum ad dubitandum de honeſtate objecti, & actionis hîc & nunc exercendæ, vehementer impellat. Nam licèt videat nequaquam poſſe obtinere ſe evidentiam, & certitudinem de veritate, & de honeſtate objecti; cognoſcit tamen fas eſſe clariorem, & certiorem notitiam adipiſci; ſi nimirum ſe ad eam partem adjungat, quæ pluribus, & gravioribus rationibus, ac majori Auctoritate ni-

Digitized by Google

tatur. Quare ſi relictâ eâ parte, minùs probabilem amplectatur, maiori, ac vehementiori errandi, & peccandi formidine commovebitur; ex quâ protinus, dubitandi, & cum dubio operandi periculum, ac proinde occaſio peccandi proxima orietur. Cum autem eam formidinem ultrò accerſat; ſanè periculo & occaſioni proximæ agendi cum dubio, adeòque peccandi, ſciens & volens ſe exponit. Quâ ratione peccat contra legem certam, vitandi periculum peccati, & partem in dubiis tutiorem eligendi. Quod totâ hac ſecundâ argumentatione demonſtrandum ſuſcepimus.

LVI.

Alterũ Argum. contra ign. inv. op. min. probab.

Tertia Ratio, quâ probatur ignorantiam conjunctam cum opinione minùs probabili invincibilem non eſſe, neque excuſare à peccato, eſt, quia qui judicat veram eſſe opinionem, quæ aſſerit hanc actionem lege divinâ prohiberi, non habet ignorantiam invincibilem, & inculpabilem legis; cum autem qui ſequitur opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris, & tutioris, ita judicare, ex principiis hujus & aliorum Auctorum facilè demonſtratur. Intellectus, inquiunt, naturali impetu ad veritatis inveſtigationem tendit; & objecto, quod verum apparet, neceſſariò aſſentitur: Atqui, in factâ hypotheſi, objectum opinionis probabilioris verum apparet: Ergo in-

Digitized by Google

tellectus ei protinus aſſentitur. Minor probatur. Quia objectum opinionis Probabilioris apparet veroſimiliùs oppoſito; hinc fit, ut ad ſe intellectum alliciat, ejuſque aſſenſum extorqueat: Si intellectus præbet aſſenſum, omnino judicat tale objectum eſſe verum, & oppoſitum falſum; cum verum utrique parti contradictionis ineſſe non poſſit

Declaratur ampliùs. Intellectus, ut omnes fatentur, ex innatâ propenſione fertur ac tendit in verum, eo ordine; ut ſi verum evidenter repræſenterur, firmiter, ac certò illi adhæreat; ſi probabiliter, hoc eſt, per motiva ſolùm probabilia, cum formidine aliquâ aſſentitur: itaut major ſit formido, ubi adſunt motiva minùs probabilia; longè minor, cum occurrunt motiva probabiliora. Notandum autem, juxta ipſam horum Auctorum doctrinam, motiva illa dici probabiliora, per quæ veritas clariùs apparet, quàm in objecto oppoſito.

Ex quibus omnibus ſic probatur aſſertio. Cum intellectus neceſſariò tendat, aſſenſumque dirigat in illud objectum in quo veritas apparet; ſanè ſibi ipſe relictus, hoc eſt, ut jam dicetur, ſeorſum ab imperio voluntatis, ad illud continuò adhærebit, cujus veritas clariùs apparebit. Cur enim tenebras magis ſectaretur, quàm lucem; aut quam vim majorem habebit objectum obſ-

Digitized by Google

curius quàm clarius ejus aſſenſum alliciendi? Atqui in objecto opinionis Probabilioris veritas clariùs repræſentatur: Ergo ad illud intellectus ſe rectâ convertet, atque illi uni aſſentietur.

Verùm ut tollatur omnis æquivocatio, advertendum eſt; quòd, cum pars una contradictionis veroſimilior alterâ evidenter apparet, nolim ego ſanè intellectum continuò veram illam exiſtimare: quia probè novit ei ſubeſſe poſſe falſitatem. Sed dico allici illum, & inclinari, ut eam partem potiùs veram judicet quàm oppoſitam, quæ minùs veriſimilis apparet. Ex quâ inclinatione & veritatis amore fit; ut intellectus ſibi relictus parti illi veroſimiliori tanquam veræ omnino aſſentiatur. Quamvis enim intellectus ſit liber quoad exercitium; quatenus cognitâ licèt majori veriſimilitudine alicujus objecti, poteſt nihilominùs aſſenſum omnem ſuſpendere, & abſtinere ab omni judicio, quo objectum, hujuſmodi reipſâ verum exiſtimet; quippè qui à ſolâ evidentiâ neceſſariò ad aſſenſum pertrahatur: tamen non eſt liber quoad ſpecificationem; hoc eſt, poſito quòd res & occaſio urgeat aliquid decernendi; v. g. quòd in procinctu celebrationis contractûs cujuſpiam, ſtatuendum ſit, eſſe licitum, vel eſſe illicitum; intellectus, ut modò dice- LVII.

Digitized by Google

bam, ſibi relictus partem contradictionis, quæ ſibi veroſimilior apparet, veram abſolutè judicabit. Dixi intellectum ſibi relictum: Nam cum veritas in neutra parte evidenter, ſed in utrâque probabiliter dumtaxat appareat, poteſt voluntas, pro ſuo in intellectum dominio, ipſum in alterutram partem flectere, ipſique imperare, ut parti etiam minùs veriſimili, tanquam veræ aſſentiatur. Verùm in ſæpè præmiſſâ hypotheſi, cum videlicet pars una eſt veroſimilior & tutior; non poteſt licitè, & abſque peccato aut voluntas imperare, aut intellectus, ita illi obſequi, ut parti minùs veriſimili tanquam veræ aſſentiatur. Quod cum ſit ſumma & finis integræ iſtius controverſiæ, inferiùs fuſè atque ex profeſſo probabitur. Interim.

Infra pag. 76.

LVIII. Oblicies primò fallax eſſe principium illud. Intellectus ſibi relictus aſſentitur ut vero, objecto omni quod vero ſimilius apparet. Nam ſæpe contingit falſum eſſe, quod probabilius eſt, & quod veroſimilius apparet. Ita auro nihil ſimilius eſt Aurichalco & tamen falſiſſimum eſt Auricalchum eſſe aurum.

Reſpondeo nuſquam doceri à Doctoribus ſeveris, re ipſâ ſeu, ut vocant, à parte rei, verum eſſe illud omne quod veroſimilius videtur; ſed intellectum judicare verum, quod ipſi veroſimilius apparet; ex

Digitized by Google

quo inferunt operantem debere in praxi ſequi opinionem, non quæ in ſe ipſâ & abſolutè vera eſt; quis enim verum certiſſimè aſſequatur? Sed opinionem, quam judicat eſſe veram. Licèt enim fieri poſſit, ut erret, & falſa ſit opinio quam veram exiſtimat; non peccat tamen: quia ad actionem movetur ex prudenti dictamine conſcientiæ, dum amplectitur illud quod ſufficienti adhibitâ diligentiâ, verum exiſtimat. Atqui veram judicat, ut modo dicebam, ſeu aſſentitur ut veræ parti illi contradictionis, quæ vero ſimilior eſt, ſeu quæ propiùs ad verum accedere videtur: Ergo &c.

Dices ſecundò. Cum intellectus naturaliter tendat ad verum, aſſentiri poteſt omni objecto in quo veritas apparebit: Atqui veritas apparet in objecto opinionis minùs probabilis, quanquam clariùs appareat in objecto opinionis. Probabilioris: Ergo intellectus illi poterit aſſentiri. Sicut voluntas, quæ naturali propenſione fertur ad bonum, amare poteſt minus bonum; vel amare objectum in quo bonum minùs clarè repræſentatur. LIX.

Reſpondeo negando minorem propoſitionem. Atque hinc peto rationem diſcriminis quod inter intellectum, & voluntatem intercedit. Siquidem cum voluntas amat objectum, aut minùs bonum, aut cujus bo-

Digitized by Google

nitas minùs clarê apparet, ſentit planè hujuſmodi objecto ineſſe ſuum motivum; ſeu rationem idoneam, quâ moveatur ad amandum, verum ſcilicet bonum, quanquam minus ſit aut obſcuriùs repræſentetur. At cum intellectus contemplatur objectum utriuſque partis contradictionis, non deprehendit in utroque motivum formale ſui aſſenſûs; quia pars utraque affirmans, & negans ſimul vera eſſe non poteſt. Et cum ſuperiùs probatum ſit, eum judicare veram partem, quæ probabilior ac veriſimilior eſt, non videt in parte minùs Probabili minùſque veriſimili, motivum ſui aſſenſûs, ac proinde nequit illi aſſentiri.

Deinde, quanquam veritas appareret in utrâque parte contradictionis, ſicut bonum apparet in utroque objecto, quod voluntati exhibetur; fas quidem eſſet voluntati alterutrum bonum eligere, ad exercendam ſuam libertatem; non liceret autem intellectui ſibi relicto, alterutri objecto vero aſſentiri; ſed neceſſariò maneret in Æquilibrio: propterea quod non ſit ipſe potentia libera, cujuſmodi eſt voluntas, nec polleat pari facultate ſe ad alterutram partem, pro arbitrio, determinandi.

LX. Dices tertiò. Quamvis intellectus non ſit potentia libera, ea tamen libertas ineſt voluntati; à quâ regitur in rebus, quæ ipſi

Terill. q. 8. n°. 22.

obſcurè proponuntur. Quare intellectus, ut ſubditur voluntati, eâ præſtare poteſt, quæ preſtaret ſi eſſet immediatè liber; At ſi eſſet liber, aſſentiri poſſet alterutri ex motivis, ſeù illi quod minùs clarè, ſeu illi quod clariùs verum repræſentat.

Ex quo ulteriùs ſequitur, objectum, quod ante imperium voluntatis, & aſſenſum intellectûs, minùs veriſimile apparebat, jam vi hujuſmodi Imperii, & aſſenſûs, veriſimilius judicari. Ratio eſt quia affectus voluntatis imperantis illum aſſenſum, & aſſenſus ipſe faciunt ut illud objectum appareat, & credatur verum: Ergo faciunt, ut appareat, imo ut veroſimilius judicetur. Conſequentia eſt certa, quia cum intellectus judicat partem unam, contradictionis eſſe veram, judicat continuò oppoſitam eſſe falſam. Si falſam judicat, illa certè minus veriſimilis apparet. Quod enim non ſolum apparet falſum, ſed abſolutè creditur eſſe falſum, non poteſt apparere tam veriſimile, quám illud quod abſolutè apparet ut verum, & ut tale abſolutè creditur. n°. 25.

Jam verò probatur antecedens. Complacentia quàm habet ille affectus voluntatis erga rationes, è quibus motivum iſtud minùs probabile efflorefcit, exibet eas majores, ac validiores, quàm ante hujuſmodi affectum, & imperium apparerent. Deinde

Digitized by Google

Auctoritas judicantis uni parti impenſa efficit in eâ majorem veriſimilitudinem ; eò quòd unuſquiſque, dum uni objecto præbet aſſenſum, ſuum illud judicium judicio,& Auctoritati contra ſentientium facilè anteponat.

LXI. Reſpondeo concedendo intellectum pendere à voluntate in iis, quæ ipſi obſcurè proponuntur; ac proinde voluntatem in eo caſu poſſe illi aſſenſum imperare. At cum omnis recta voluntas ratione ducatur ; ubi duæ partes contradictionis offeruntur; lex exiſtit, lex non exiſtit ; voluntati prælucere debet motivum aliquod prudens , ut aſſenſum imperet ad unam partem, potiùs quàm ad alteram ; præſertim ſi partis illius veritas obſcuriùs ipſi exhibeatur : Atqui ante imperium voluntatis nulla proponitur hujuſmodi ratio ; tunc enim ut fatentur, motivum eſt minùs probabile, ac minùs veriſimile objectum ; quod veroſimilius ſolùm efficitur per ſubſequens imperium voluntatis : Ergo voluntas imperare prudenter non poteſt aſſenſum , & adhæſionem ad eam partem contradictionis ; quæ, ante ſuum illud imperium, minùs veriſimilis videbatur.

Confirmatur. Ante imperium voluntatis vel utraque, vel una ſolùm contradictionis pars vera apparet. Si primum, ecce jam

pugnantia concedis. Si quidem, ut antea diximus, fieri non poteſt, ut utraque contradictionis pars vera, aut appareat, aut judicetur; ex eo enim ſequeretur utramque ſimul apparere veram, & falſam; pars A. v. g. appareret vera, ut ſupponitur: Atqui etiam apparet falſa. Nam ſi pars B. apparet vera, neceſſe eſt, ut pars A. oppoſita appareat falſa; quod ipſemet Terillus ultrò ſuperiùs fatebatur. Si ſecundum dixeris, ſcilicet unam dumtaxat partem contradictionis apparere veram, ante imperium voluntatis: ergo inutile prorſus eſt tale imperium, gratiſque confictum: ubi enim objectum aliquod apparet unicè verum cum intellectus ad verum naturaliter feratur, ſi neceſſitas & occaſio urgeat judicium in alterutram partem ferendi, ſe ipſo ad illud tendet, eique protinus aſſentietur.

Omitto contra illam Terilli viri alioqui ſagaciſſimi reſponſionem plura adducere; quia ſapientiſſimus Auctor diſſertationum de uſu licito opinionum probabilium, eam multiplici ratione confutavit. Diſſ. 3. n. 15. 16. 17.

Unum addo, ſpeculationem illam de complacentiâ voluntatis, erga unam contradictionis partem, & ſubſecuto intellectûs aſſenſu, quibus major illi veriſimilitudo conciliatur, favere prorſus ſententiæ ſuperiûs laudati Auctoris, aliorumque, qui

Digitized by Google

cum eo docent, tenendam in praxi opinionem, quæ ipſi operanti probabilior videtur. Ex eâ enim Terilli ſpeculatione ſequitur nemini licitum agere juxta opinionem in ſe minùs probabilem, niſi ab ipſo operante in actu ſignato, aut ſaltem in actu exercito veriſimilior judicetur. Quâ ſanè adverſariorum confeſſione, ſententia iſtorum Auctorum mirificè roboratur.

LXII. Senſere opinor vim ſolidæ hujus reſponſionis ad argumentum Terilli, qui recentiſſimè contra ſeveriorem ſententiam ſcripſere, præſertim ingenioſus, & accuratus Auctor Controverſiæ Theologicæ de Rectâ regulâ morum Ingolſtadii nuper impreſſæ; qui novis argumentis hoc voluntatis imperium nititur vindicare.

Dices itaque & cum illo Auctore objicies. 1°. Cùm utraque pars contradictionis æquè probabilis, aut una v. g. pars negans probabilior operanti apparet, eſto voluntas non poſſit imperare aſſenſum erga partem affirmantem, abſque novo aliquo motivo; non requiritur tamen ut motivum illud afficiat actum imperatum; ſed ſufficit, ut reſpiciat actum imperantem: hoc eſt, non requiritur, ut novum illud motivum augeat probabilitatem aſſenſûs, ſeu judicii affirmantis; ſed ſufficit ut urgeat, & impellat voluntatem ad hujuſmodi aſſenſum imperandum. Res

Digitized by Google

autem ita contingit in eo, qui parti affirmanti minùs probabili aſſentitur.

Probatur, & explicatur à pari. Cum duo Medici artis ſuæ omnino periti contraria præſcribunt pharmaca, voluntas ægroti ſuſpenſa hæret in alterutro eligendo; ſed cum à calidis abhorreat, & unum ex illis calidum ſentiat, ſtatim ad frigidum hauriendum potentiam externam determinat. Frigus ſanè iſtius pharmaci, ejus virtutem non auget; eſt tamen motivum & cauſa, cur illud, præ alio æger exſorbeat. Ita cum incertus eſt intellectus cui parti adhæreat, eò quòd nulla evidenter vera appareat; & motivum ſpeciale voluntatem impellit, ut aſſenſum, & adhæſionem ad partem affirmantem minùs probabilem imperet; ſanè motivum hujuſmodi non auget probabilitatem partis affirmantis; ſed nihilominùs voluntatem adducit, ut jubeat intellectum parti illi præbere aſſenſum. Tale motivum ſpeciale poteſt eſſe bonum, & utilitas aliqua ipſius voluntatis; quæ adhærendo parti affirmanti minùs probabili, eximit ſe quodam incommodo, & vitat anguſtias ſuæ fragilitati periculoſas.

Reſpondeo, quòd licèt in caſu noſtro, concederetur voluntatem poſſe Phyſicè flectere intellectum ad aſſentiendum parti minus veriſimili; hujuſmodi imperium vitioſum LXIII.

erit, atque peccaminoſum; ac proindè illicitus aſſenſus, iſte ab eâ imperatus, quod nobis unicè propoſitum eſt, in hac controverſiâ morali, in quâ non quæritur an intellectus poſſit Phyſicè, & abſolutè aſſentiri parti contradictionis ſibi minùs veriſimil; ſed an illud poſſit licitè ac moraliter; ac proinde, an licitè poſſit opinioni minùs probabili adhærere.

Probo autem, quod ſupra indicavi, proponendo tertium argumentum, probo, inquam, vitioſum eſſe hoc imperium voluntatis, & illicitum aſſenſum ab eâ imperatum; quia cum motivum impellens voluntatem ſit aliquod ejus commodum, utilitas, objecti convenientia; eò videlicet quòd, beneficio opinionis minùs probabilis eximatur onere reſtituendi, jejunandi, deſerendi occaſionem peccandi: intellectus, ſpectatis fallaciis amoris proprii, voluntatem ad ſuas utilitates, & commoda ſuaviter pertrahentis; ſpectatâ item nimiâ licentiâ ac potentiâ voluntatis, ut omnes conſentiunt, ſæpiſſimè, à butentis dominio, quod habet in potentias ſibi ſubordinatas; intellectus, inquam, poteſt prudenter dubitare, imò probabiliter judicare, quòd in iſtâ deliberatione, voluntas paſſione potiùs, quàm ratione ducatur.

Et primò quidem, ſi intellectus dubitat;

Digitized by Google

num voluntas aliquo affectu inordinato moveatur ; & cum eo dubio ejus imperium exequatur, parti minùs veriſimili aſſentiendo, imprudens eſt actus uterque, tum imperans, tum imperatus, ac proinde uterque peccaminoſus. Imprudens eſt ſanè aſſenſus, quem intellectus præbet dubitando, an voluntas eum licitè ipſi imperet ; adeòque dubitando, an in eo caſu licitè obediat voluntati.

Imprudens eſt pariter imperium voluntatis ; cum illud intimet in iis circumſtantiis, in quibus ipſi repræſentatur, intellectum dubitare an legitimum ſit hujuſmodi imperium ; & an licitè illi obediat. Eâ enim ratione voluntas ſciens, & volens in certum errandi peccandi periculum, ſeque, & intellectum conjicit.

Dixi ſecundò intellectum non modò dubitare an voluntas recte, ac licitè imperet, ſed probabiliter judicare eam imprudenter ; & impulſu amoris proprii, imperare. Eſt enim illud judicium probabile, quod fundatur in fallaciis amoris proprii, atque imbecillitate humanæ voluntatis in rebus potiſſimùm ſuis cœcutientis, & ad ſuas utilitates, naturali propenſione, inclinantis. Jam verò, ſi intellectus formet hujuſmodi judicia ; voluntas mihi licitè imperat aſſenſum ad partem cognitam, ut minùs probabilem, LIV.

Digitized by Google

voluntas non imperat mihi licitè talem aſſenſum; & utrumque eſt mihi probabile; ut ille adhæreat alterutri ex illis partibus, requiritur novum imperium voluntatis; quo jubeatur intellectui aſſentiri parti, quæ affirmat eam ritè ac legitimè imperare. Cum autem iſtud quoque imperium, volo ut judices me ritè, & non ex privato affectu tibi imperare; cum inquam, illud etiam imperium ſuſpectum ſit intellectui, & illum incertum relinquat; manifeſtum eſt requiri alia, & alia imperia reflexa, in infinitum: vel certè dari vitioſum circulum, quem vocant petitionem Principii, hoc modo judico voluntatem mihi ritè, ac licitè imperare aſſenſum huic parti è duabus oppoſitis, quia ipſa mihi imperat ità judicarè.

LXV. Objicies 2°. cum eodem autore varios caſus; in quibus omnino contingit, intellectum aſſentiri parti minùs probabili, ex imperio voluntatis. Primus obſervatur in homine illo, qui de alio temere judicat. Cum enim malitia judicii temerarii in eo ſita ſit, quòd de nequitiâ proximi, opinio habeatur ex levi & minùs probabili fundamento, contra validiora, ac graviora argumenta, quæ ejus innocentiam vindicant, ſanè aut nullum unquam ſit judicium temerarium, aut intellectus parti minùs probabili, contra probabiliorem aſſentitur.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondeo, de proximi conſcientiâ tunc temerè judicari, cum hujuſmodi judicium nititur levioribus indiciis; quæ tamen gravia validaque judicanti apparent. Ex eo autem iniquitas, ac temeritas judicii oritur, quòd voluntas ex inordinato affectu, puta odio, invidiâ, iracundiâ, non permittat, intellectum horum motivorum levitatem examinare; ſed præcipiti impetu illi jubeat contra proximi innocentiam judicium ac ſententiam ferre. Unde colligitur primò, intellectum temerè judicantem moveri rationibus abſolutè quidem, at non reſpectivè levioribus, hoc eſt rationibus in ſe quidem levioribus, non tamen ita, ut ipſi leviores ac minùs probabiles videantur.

Colligitur ſecundò, in judicio temerario, voluntatem non imperare intellectui, ut objecto cognito ſibi ut minùs probabili aſſentiatur; ſed pravo, ac præcipiti affectu occupatam, impedire, ne intellectus cognoſcat ſtatuatque, quæ pars contradictionis in ſe probabilior, ac veriſimilior abſolutè exiſtat. LXVI.

Confirmari poteſt reſponſio, duplici obſervatione ſupra laudati Auctoris de uſu licito opinionum probabilium; unâ quidem, quia Judicium temerarium ex eo eſt culpa mortalis, quòd aliquis, non modò ſuſpicetur aut opinetur, ſed certò credat grave malum de proximo. Quanquam autem ſuſ-

Digitized by Google

picio & opinatio, non tamen judicium certum & fixum, levibus indiciis, ſub ea ratione cognitis, niti poteſt; nemo enim prudens quantumvis inordinato affectu ducatur, certum, ac minimè dubium, certum, inquam, illud habet, quod videt ſibi levioribus indiciis ſuaderi.

Altera animadverſio ea eſt, quòd ſi ad temeritatem & malitiam judicii requireretur, ut ille qui temerè judicat, cognoſceret tenuitatem, ac minorem vim rationum, quibus ad iniquam illam opinionem inducitur, eodem tempore, eademque operâ proximo inferret injuriam, eamque reſarciret. Neque enim meliùs macula alterius exiſtimationi ſive apud nos ipſos, ſive apud alios aſperſa deleri poteſt, quàm ſi fateamur nos de ejus famâ deteriùs ſentientes aut obloquentes, levibus infirmiſque rationibus ad id fuiſſe permotos.

LXVII. Urgebis. Atqui voluntas imperare poteſt intellectui, ut aſſentiatur objecto cognito etiam ut minùs veriſimili. Declaratur exemplo altero, ſuperiori planè oppoſito. Cum vir probus, inter varia diverſaque judicia, conſtitutus, quorum alia clariùs ac probabiliùs arguunt, Petrum eſſe criminis alicujus affinem, alia leviora atque imbecilliora ſuadent eum eſſe innocentem, cùm, inquam, vir ille probus ex Sanctâ, & Chriſtianâ ſim-

Digitized by Google

plicitate, Petrum eſſe innocentem interpretatur, patet, voluntatem ex pio illo affectu præcipere intellectui, ut Petri innocentiæ aſſenſum præbeat, quanquam illa motivo minùs probabili ſuadeatur.

Reſpondeo, voluntatem in præmiſſo exemplo ritè ac prudenter intellectum adigere, ut Petri innocentiæ ſuffragetur, quia debiliora argumenta, quibus illa aſſeritur, roborantur primò ſcripturæ autoritate Religioſiſſimam cautionem commendantis in indagandis, ac dijudicandis alienæ conſcientiæ arcanis; quorum notitiam ac judicium ſibi uni Deus vindicavit. Deinde metu errandi in rebus adeò reconditis, tamque ab humanâ intelligentiâ remotis. Demùm ratione, quam indicat Sanctus Thomas: quia videlicet proximus ad ſuam famam jus certum habet, quod proinde à nobis indemne, & illæſum ſervari debeat; niſi rationes non modò probabiliores, ſed, ut ait Sanctus Doctor, certæ & evidentes, objecti criminis conſcium illum eſſe, convincant. Atqui in præmiſſo caſu, licèt motiva contra Petri innocentiam appareant viro illi probo probabiliora; non tamen apparent evidentia: Ergo non debet illis aſſentiri; imo voluntas debet impedire ne illis aſſentiatur. *Ubi*, inquit, *S. Thomas non apparent* 22. q. 6. a. 4. 6.
manifeſta indicia de malitiâ alicujus, debe-

Digitized by Google

mus illum ut bonum habere. Et rurſum , *&*
Ibid. ad 2. *ideo ad hoc potiùs tendere debemus in tali judicio , quòd hominem judicemus bonum , niſi manifeſta ratio in contrarium appareat.*

Equidem ſi motiva innocentiæ Petri adverſantia , comparentur cum indiciis oppoſitis minùs quàm illa probabilibus , ſed jam tot aliarum rationum acceſſione firmatis, non videbuntur ſanè probabiliora ; ac proinde dici non poteſt intellectum , ex imperio voluntatis , relictâ parte illâ , quæ ſibi probabilior apparebat , minùs probabili aſſentire. Deinde eſt opars illa Petri innocentiæ contraria probabilior appareat , non eſt tamen evidens; ac proinde poteſt voluntas viri probi imperare aſſenſum ad partem oppoſitam.

LXVIII. Urgebis. 2°. motiva modo adducta ad ferendam mitiorem ſententiam de innocentiâ proximi , augere quidem honeſtatem actûs imperantis ; at non augere probabilitatem aſſenſûs ; ut ſuperiùs volebat profeſſor Ingolſtadienſis : ac proinde minimè impedire quominùs intellectus ex imperio voluntatis parti ſibi cognitæ , ut minùs probabili, re verâ , aſſentiatur.

Reſpondeo hujuſmodi motiva imminuere ac debilitare vim rationum , quæ intellectui ſuadebant de innocentia proximi ſecùs judicare. Ex quo fit ut vel pars utraque æquè

Digitized by Google

probabilis videatur, vel intellectus inter utramque dubius incertuſque remaneat. Si pars utraque æquè probabilis appareat, poteſt, voluntas ex pio affectu, imperare intellectui, ut parti, quæ Petri innocentiæ favet, prorſus adhæreat; Si intellectus ſuſpenſus dubiuſque titubat, non modò poteſt, ſed tenetur voluntas, in eo dubio, præcipere intellectui, ut partem ſtantem pro Petri innocentiâ, ut pote tutiorem, amplectatur.

Tertius caſus contingit in hæretico, cujus intellectus ex imperio voluntatis diſſentit uni alicui articulo fidei, quanquam ille veriſimilior, ac credibilior ipſi videatur. Cum enim Hæreticus teneatur hunc articulum credere, neceſſe eſt, ut ejus credibilitas ei ſufficienter proponatur. Si ſufficienter proponitur, & quantum ſatis eſt ad inducendam obligationem credendi, debet omnino hujuſmodi articulus veriſimilior ac probabilior errore oppoſito apparere: Ergo ſi nihilominùs huic errori adhæreat, aſſentitur omnino parti minùs probabili, relictâ probabiliore. LXIX.

Reſpondeo ex principiis Auctoris diſſertationum de licito uſu opinionum probabilium, argumentum plus ſanè quàm Auctor iſte intendat, adeòque nihil probare, nam ut credibilitas alicujus Myſterii parjat obligationem credendi, & voluntatem moveat

Digitized by Google

ad imperandum actum Fidei Divinæ de veritate hujus myſterii, non modò debet apparere major credibilitate erroris oppoſiti, ſed major certiſſimè & evidenter, & ita evidenter, ut error oppoſitus non appareat ullo modo prudenter credibilis. Jam verò poſito, quòd myſterium non modò veriſimilius errore oppoſito, ſed etiam evidenter credibile Hæretico videatur, dum ille hujuſmodi errori aſſenſum præbet, non ſolùm objecto minùs veriſimili aſſentitur, relicto veriſimiliori, ſed objecto evidenter incredibili, relicto eo quod credibile ipſi evidenter apparet. At neque ipſi Auctores benigni tantum voluntati imperium tribuunt, ut velint fas eſſe illi non modò ab obſcuris, & probabilibus, ſed etiam ab evidentibus intellectum in contrariam partem avertere.

LXX. Reſpondeo itaque ſecundò articulum Fidei, cui hæreticus diſſentit, in ſe quidem & abſolutè longè veriſimiliorem, imò evidenter credibilem eſſe, at hæretico talem non apparere. Quod probatur experientiâ, & ratione. Experientiâ quidem, quia nemo eſt hæreticus, qui interrogatus, cur ſuæ ſectæ tam pertinaciter adhæreat, reſpondeat Doctrinam Catholicam ſibi quidem evidenter credibilem, ſuâque ſectâ probabiliorem videri, in hac tamen ſe perſeverare, quòd in eâ natus ſit, & educatus; aut quòd eam

Digitized by Google

privatis ſuis rationibus magis conducere arbitretur. Sed omnes planè reſpondent, dogmata ſe à Catholicis aliena tueri amplectique, quòd ſibi veriſimiliora, Deique verbo magis conſentanea videantur.

Ratione verò id ipſum confirmatur. Quia cum in ſalutis Fideique negotio, prudentiæ imprimis conſiliis voluntas regi debeat, non prudentiæ, ſed ſummæ dementiæ foret, ſic ſtatuere, volo huic myſterio diſſentire, quanquam mihi multò probabilius ſit à Deo revelatum, imò quanquam evidens mihi certumque ſit, eſſe illi aſſentiendum.

Adverſus hanc reſponſionem noſtram clariſſimam licèt, nonnulla emergere videntur incommoda. Unum quidem, quòd ſequatur hæreticum non peccare dum diſſentit alicui Myſterio Fidei. Nam ſi myſterium hujuſmodi, neque evidenter credibile, neque ſuo errore veroſimilius ipſi videatur, nec tenetur, nec poteſt illud Fide divinâ credere, ac proinde non peccat, illi aſſenſum denegando. Reſpondeo, Hæreticum ex eo peccare, quòd illa, quâ tunc laborat, myſterii ignorantia craſſa ſit & voluntaria, atque culpæ, ac malitiæ tribuenda. Cum enim rationes, quæ myſterium ſuadent, longè validiores ſint argutiis illis, quibus error oppoſitus nititur, & prudens ejus credibilitas motivis evidentibus de- LXXI.

Digitized by Google

monſtretur ; obſtant privata commoda ; præjudicium veterum opinionum, ſuperbia, ſolutior diſciplina, aliique inordinati affectus, ne earum rationum, ac motivorum vim & gravitatem expendat: quæ ſupina negligentia, cum vitioſa & culpabilis ſit, eâdem peccati labe inficit hanc hominis hæretici pertinaciam, & pravam credulitatẽ.

LXXII. Inſtabis, ille duntaxat hæreticus habendus eſt, qui veritatem à ſe cognitam impugnat, *& qui*, ut ait Auguſtinus, *mavult humanâ aſtutiâ reſiſtere, quàm tam claræ atque perſpicuæ, tam ſublimi atque ſublimiter diffamatæ Divinæ Auctoritati credere.* At ſi myſterium, ei, qui diſſentit, nec evidenter credibile apparet, nec veroſimilius errore oppoſito, dici non poteſt quòd ille reſiſtat claræ atque perſpicuæ veritati. Ergo ille non eſt habendus hæreticus, qui diſſentit myſterio, quod non proponitur illi tanquam aut evidenter credibile, aut veroſimilius, errore cui aſſentitur.

Epiſt. 49.

Reſpondeo primò, ut ſuprà, inſtantiam nimiùm probare. Probat enim intellectum poſſe ex imperio voluntatis non modò objecto veroſimiliori, ſed etiam objecto ſibi evidenter propoſito diſſentire, & dogma aliquod non modò ſibi minùs probabile, ſed etiam evidenter incredibile amplecti, quod iſti Auctores non contendunt.

Digitized by Google

Reſpondeo ſecundò Hæreticum diſſentire myſterio objectivè quidem veroſimiliori, reſpectivè tamen minùs probabili, quàm error oppoſitus cui adhæret. Hoc eſt, myſterium probatur rationibus in ſe validioribus, & illuſtrioribus, quàm Argumenta omnia, quibus error contrarius ſuadetur, ejuſque credibilitas nititur motivis planè idoneis ad generandam evidentiam in omni intellectu benè diſpoſito. Hæreticus tamen ità ſuis antiquis præjudiciis, aut inordinatis affectibus occupatur, ut nec hujuſmodi motivorum evidentiam nec majorem eorum probabilitatem claritatemque percipiat. Peccat tamen adhærendo ſuo errori, quanquam myſterium oppoſitum actu non ei veriſimilius videatur, quia videlicet ejus culpâ, & malitiâ fit, ut majorem illam myſterii veriſimilitudinem, & motivorum probabilitatem non deprehendat. Craſſa eſt omnino & affectata hujuſmodi ignorantia, quæ ſanè culpâ non caret.

Quod, ut meliùs intelligatur, ſuppono vulgô contingere, ut Hæretici, & infideles omnes duobus modis fidei myſteriis diſſentiant, atque in errores oppoſitos abducantur. Primò quidem, dum excitatam ſuâ in mente horum myſteriorum cognitionem comprimunt, & jam exceptum divinum lumen, quod Paulus reprehendit, ultrò extinguunt. LXXIII

Digitized by Google

Secundò, cum variis pravorum affectuum motibus concitati, Divino Lumimi, ne ſuum in animum illabatur, vias omnes aditusque præcludunt. Rem imaginibus metaphoriſque quàm aptiſſimis ſcriptura adumbrat, cum ait. *Statuerunt oculos ſuos declinare in terram*, & rurſum. *Declinant aures ſuas ne audiant legem.*

Prov. 8.

Dico, igitur, hominem in utroque iſto caſu verè hæreticum eſſe. Tum maximè, cum alicui myſterio Fidei diſſentit, cujus longè majorem veriſimilitudinem, & prudentem credibilitatem evidenter agnoſcit; quia tunc perſpicuæ veritati pertinaciter reſiſtit: Tum etiam quando myſterio diſſentit, quanquam illud actu nec evidenter credibile, nec errore ſuo veriſimilius ipſi videatur. Quia videlicet ejus culpâ, & malitiâ fit, quòd, evidentem myſterii credibilitatem, & majorem ejus veriſimilitudinem non agnoſcat, quatenus piget maturè, & accuratè rationes expendere, quibus utraque ſuadetur. Uno verbo dico, Hæreticus eſt, reſiſtit Spiritui Sancto divina Myſteria revelanti, rebellis eſt divino Lumini, tum qui jam agnitam myſterii alicujus veritatem, procul abjicit, tum qui renuit exanimare rationes, quibus ei hujus myſterii veritas, & oppoſiti erroris falſitas, procul dubio, ſuaderetur.

Digitized by Google

Urgebis contra primam partem principii à nobis modò conſtituti. Fatemur in ea, & ſanè negare illud nemo poteſt, nonnullis hæreticis prorſus cognitam eſſe evidentem credebilitatem, aut ſaltem majorem probabilitatem myſteriorum quibus diſſentiunt; Ergo illi ſaltem, cùm erroribus oppoſitis ſibi longè minùs veriſimilibus adhæreſcant, ſententiam minùs probabilem non ex craſsâ, ut nos ſupponimus, ignorantiâ, ſed planè, ex voluntatis imperio, amplectuntur. Antecedens eſt certum. Nam plures Hæretici ſunt acutiori, & ſagaciori ingenio, quàm ut ignorent Catholicæ Religionis præſtantiam, & ſuæ ſectæ imbecillitatem. Id vel unus Lutherus apertè indicabat, cum intelligens damnatam à Leone X. ſuam de Indulgentiis Doctrinam, volebam hîc, aïebat, gradum ſiſtere, verum ut Romano Pontifici ægrè faciam, uolo & negare ejus Autoritatem. En hominem ingenuè profitentem cognita ſibi probataque, hoc & alia Catholicæ Religionis dogmata, at nihilominùs ex odio, & perverſâ voluntate, ad errores contrarios adhærentem. Patet id ipſum, [Nam Eccleſia inter Martyrum ſuorum victorias, ſuas etiam clades accepit] patet, inquam, lapſu tot virorum inſignium, qui ſuppliciorum acerbitate adacti, Religionem Chriſtianam, quam veriſſimam noverant, LXXIV.

Digitized by Google

non ex craſſâ utique ignorantiâ, ſed planè ex voluntatis ſibi molliùs indulgentis imperio abdicarunt.

LXXV. Reſpondeo concedendo antecedens quod nos ipſi ſuprâ admiſimus, & exempla modò à nobis adducta ad roborandam adverſariorum inſtantiam planè convincunt; at negando conſequentiam; in quâ falsò concluditur, illos ſeu Infideles ſeu Hæreticos, qui Fidei noſtræ Myſteria longè ſuis erroribus veroſimiliora judicarunt, hujuſmodi erroribus, vero & formali intellectùs judicio aſſentiri. Et Dico homines iſtos eſſe eorum in numero de quibus Apoſtolus ait. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Cum enim Chriſtianæ, & Catholicæ Religionis myſteria ſuis erroribus longè veriſimiliora, imò evidenter credibilia agnoſcant; non poſſunt ea diſcredere, ſeu poſitivo diſſenſu rejicere; & erroribus con- contrariis interiori perſuaſione adhærere, quia tamen Fidem, quam apud ſe veram exiſtimant, verbis & factis negant, ſectaſque illi oppoſitas exteriùs profitentur; ſunt omnino aut Infideles, aut Hæretici, etiam omnibus Eccleſiæ cenſuris obnoxii, quæ, quia de internis non judicat, nec ſecreta cordium Deo ſoli cognita perſcrutatur, homines qui errores Fidei Myſteriis oppoſitos docent, atque exteriùs profitentur, ritè

Digitized by Google

ſapienterque præſumit hujuſmodi myſteriis interiùs diſſentire.

Urgebis ſecundò contra partem alteram ſuperioris principii, in quo ſuppoſuimus alios Hæreticos, & quidem plures denegare aſſenſum myſteriis Fidei, eo quòd ipſis ob craſſam ignorantiam, minùs veriſimilia, quam ſui errores & minùs credibilia videantur. Ex eo, enim ſequitur homines illos ſaltem non dici debere hereticos. Ratio eſt, quia ignorantia craſſa facit quidem ut error ſit voluntarius, & culpabilis, non tamen ut ſit Hæreſis formalis. Quod ita probatur. Ille ſolùm eſt formaliter Hæreticus, qui tuetur cum pertinaciâ Dogma aliquod ab Eccleſiâ damnatum, aut qui Articulum Fidei ab eâ propoſitum contumaciter rejicit: ſed qui ex tædio, negligentiâ, aut ex privato aliquo commodo vel incommodo, omittit expendere rationes, quæ hujus articuli veritatem, & erroris oppoſiti falſitatem ſuadent; non ideò pertinaciter reſiſtit Eccleſiæ auctoritati. Quinimò ſæpè contingit, eum minimè advertere, an Eccleſia de iſto dogmate quidquam decreverit, & paratiſſimum eſſe ad obtemperandum Eccleſiæ; ubi primùm reſciverit, quid ab eâ fuerit in hac causâ pronuntiatum: non eſt igitur ex eo capite cenſendus hæreticus quòd ob craſſam, & culpabilem ignorantiam erroribus Fidei oppoſitis aſſentiatur. LXXVI.

Digitized by Google

LXXVII. Reſpondeo, id unum nobis probandum incumbere, eum videlicet ſeu infidelem, ſeu hæreticum, qui Myſteriis Fidei diſſentit, non ea actu exiſtimare evidenter credibilia, aut ſuis erroribus veroſimiliora; nec proinde objecto ſibi minùs veriſimili aſſentiri.

At nihilominùs graviſſimè peccare contra Fidem; propterea quòd ejus malitiâ culpâve contingat quòd non habeat illam ſeu evidentiam credibilitatis myſterii, ſeù probabiliorem de ejus veritate notitiam. An autem ex eo præcisè quòd peccet; & quidem graviter contra Fidem, dicendus ſit formaliter Hæreticus, & an hic ejus error ſit formalis Hæreſis, non eſt inſtituti noſtri in præſentiâ definire.

Quanquam ſi agatur de eo, qui uni alicui ſectæ addictus extra Eccleſiam Catolicam exiſtit, atque ex ignorantiâ craſsâ & vincibili, ut ſupponimus, diſſentit alicui myſterio Fidei, certum eſt primò, eum reſiſtere Eccleſiæ Catholicæ, quam planè novit dogmata ſuis contraria docere ac profiteri. Deinde reſiſtere ſuâ malitiâ, adeòque pertinaciter, quia licet non exiſtimet, illam eſſe veram Dei Eccleſiam, cui teneatur obedire, tamen ſicut peccat contra Fidem myſterio debitam, ex eo quòd ſuâ culpâ, & malitiâ non examinat rationes, quibus

Digitized by Google

myſterii veritas ritè probatur, ita eadem ejus malitia, & pertinatia obſtat, quominùs motiva, & argumenta ponderet, quibus ei Eccleſiæ veritas,& Autoritas ſuaderetur. Ex quâ ejus ſupinâ negligentiâ, & obſtinato veterum ſuorum præjudiciorum amore fit, ut rectè dici poſſit reſiſtere illum voluntariè, ac contumaciter Eccleſiæ Auctoritati.

Quartum exemplum, quo apertè conſtare videtur, intellectum objecto minùs veriſimili, & ſententiæ minùs probabili ex voluntatis imperio aſſentire, petitur ab obedientiâ, quam ſubditus ſuo prælato tenetur exhibere, etiam cum ipſe probabiliùs exiſtimat ſuperioris præceptum injuſtum eſſe, ejuſque executionem prorſus illicitam. LXXVIII

Nam, ut Doctores omnes aſcetici, & inprimis ipſe S. P. Ignatius in celebri Epiſtolâ de obedientiâ ſanciunt, obedire debet ſubditus, niſi ipſi evidens ſit illicitam eſſe executionem præcepti. Atqui ut ſupponimus, eſt illi ſolùm probabilius, & non evidens illicitam eſſe executionem præcepti. Ergo debet obedire. Intellectus, inquit, Sanctus Pater. *In iis, in quibus veritatis evidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere, in hanc potiùs, quam in aliam partem*, adeòque in minùs probabilem, potiùs quam in probabiliorem, *Inclinari.*

Digitized by Google

Reſpondeo, ſubditum eo loco conſtitutum, ut judicio quidem probabili cenſeat, æquum eſſe ſuperioris præceptum, verùm judicio probabiliori exiſtimet illud eſſe injuſtum, debere rem ulteriùs examinare, ac rationes conquirere, quibus præcepti æquitas illi magis probabilis efficiatur. Neque verò deerunt illæ homini ſapienti, & obedientiæ ſtudioſo. Qui vel prima hujus virtutis Elementa didicerit, quæ inter cæteros, ipſe S. Ignatius deſignavit, videlicet, *ſuperioris vocem & juſſa non ſecùs ac Chriſti vocem eſſe excipienda, ſuperiorem illius perſonam referre, & nobis eſſe Dei loco, cujus ſapientia falli non poteſt, qui ſupplebit, quidquid ſuo Miniſtro defuerit.*

Hæ ſanè aliæque rationes, quæ rem ſeriò meditanti facilè occurrent, ſi jungantur iis, quibus jam præcepti æquitas probabilis reddebatur, eam omninò probabiliorem efficient in animo rectè diſpoſito, nec amore proprii judicii, aliiſque pravis affectibus perturbato, ſi tamen ſubdito viro ſapienti, adhibitá multâ diligentiâ, ſua de præcepti injuſtitiâ opinio conſtanter probabilior videretur, nec judicium illud deponi poſſet; non teneretur obedire, ut alibi dictum eſt. Sic enim peccaret agendo contra conſcientiam propriam, ſed hujuſmodi caſum vix evenire poſſe, crediderim, in

eo

Digitized by Google

eo homine, quem deſcripſimus, verè Religioſo & ſapiente, rationes modò indicatas accuratè examinante, cui ſua illa ſententia non evidens, ſed merè probabilis videatur. Si enim hæc omnia concurrant, ſententia ſuperioris, quæ ſubdito antea minùs probabilis, jam planè probabilior apparebit.

Reſpondeo ſecundò: Atque hæc videtur germana ſolutio difficultatis toties refricatæ. Ideo ſubditus exiſtimat, injuſtum eſſe ſuperioris mandatum: quia judicat pugnare illud cum alio præſtantiori, atque altiori præcepto, nempe cum lege aut naturali, aut divinâ, aut humanâ, alicujus majoris ſuperioris. Jam verò, vel evidenter, vel ſolùm probabiliter judicat, dari hujuſmodi præceptum altius, cui Prælati hujus immediati mandatum opponatur. Si illud evidenter cognoſcat, non tenetur obedire. Eſt enim caſus ille, quem Doctores omnes excipiunt, cum aiunt, ſubditum non teneri præcepto, cum evidenter illi conſtat aliquid præcipi contra Dei aut Eccleſiæ mandata ac proinde non poſſe illud impleri abſque peccato. LXXIX

Si probabilius tantùm judicat, mandatum hujus ſui Prælati immediati, præceptis illis ſuperioris ordinis opponi, tenetur omnino obedire. Ratio eſt, quia præceptum certum debet prævalere præcepto dubio, & incerto. Atqui præceptum ſuperioris immediati eſt certum, ſubdito enim certum eſt hunc

Digitized by Google

eſſe ſuum legitimum ſuperiorem; item certum illi & evidens ab eo ſibi hujuſmodi præceptum imponi. At non ita certum, ſed dumtaxat probabile, adeòque dubium adhuc incertumque, an detur lex aliqua ac præceptum altius, cui hoc Prælati mandatum opponatur. Ergo ſubditus in eo rerum articulo, immediati mandato ſuperioris, ſibi certo ac probè cognito debet obtemperare.

Et verò quamvis ante ſuperioris mandatum, probabilius ſubdito videretur actionem eſſe illicitam, ubi tamen accedit hujuſmodi mandatum, & prudens illud judicium, quòd parendum ſit legitimi ſuperioris præcepto clariſſimè, ac certiſſimè declarato, niſi illicitam eſſe actionem illam aliunde evidenter appareat; hæc duo, nempe notum ſuperioris mandatum, & prudens judicium de obligatione illud exequendi detrahunt priòri judicio ſuum probabilitatis exceſſum, eumque ad oppoſitum judicium transferunt, quod antea minùs probabile exiſtebat, ſimulque conflant motivum ſufficiens, quod voluntatem prudenter allicit ad imperandum intellectui, ut depoſito priori judicio, Prælati judicio jam re verá probabiliori acquieſcat, ejuſque voluntati obſequatur.

LXXX. Atque hîc Quæſtioni iſti Morali clauſulam imponebam, cum bona fides, & veritatis ſtudium moverunt, unum aliud addere. Quandoquidem dixi, in tam latè patenti contro-

Digitized by Google

verſiâ unicum de ignorantiâ invincibili argumentum attigi, nihil omnino quod ad illud ſpectet, omittendum eſt, nihil diſſimulandum. Itaque quæ mihi ipſi inter ſcribendum occurrerunt palàm expono, & fateor in hunc modum objici poſſe.

Quanquam Argumentum ab ignorantiâ invincibili petitum non prodeſſet contra cæteros ſeveræ ſententiæ patronos, tamen contra nos valeret plurimùm, quoniam ex principiis à nobis ſuperiùs conſtitutis manifeſtè colligitur, ad aſſerendum uſum licitum opinionis minùs probabilis efficaciſſimum eſſe. Quod itá probatur. Vir doctus & pius, qui adhibitâ omni diligentiâ ad inveniendam veritatem habet eam ignorantiam, quæ verſatur in defectu evidentiæ, excuſatur à peccato. Atqui ille qui ſequitur opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris, eſt hujuſmodi. Ergo excuſatur à peccato.

Majorem ſuprá ſtabilivimus exemplo Cypriani, & Dionyſii Alexandrini aſſerentium iterandum baptiſmum ab Hæreticis collatum, quos diximus peccato prorſus immunes, eò quòd invincibiliter ignorarent legem quæ hujuſmodi baptiſmum iterari prohiberet; ignoraſſe autem legem illam, quia curâ omni diligentiâque adhibitâ ad inquirendam veritatem, certam

Digitized by Google

hujus legis notitiam aſſequi non potuere. Minorem quoque admiſimus, & ſupponunt Auctores utriuſque ſententiæ, qui fatentur quanquam exiſtentia legis probabilior videatur ei, qui ſequitur opinionem minùs probabilem, illi tamen certum & evidens non eſſe legem exiſtere.

LXXXI. Reſpondeo negando abſolutè majorem, & dico non excuſari à peccato præcisè illum, qui caret evidenti legis notitiâ; ſed qui nec evidentiam illius habet, nec majorem probabilitatem. Si enim ſtante defectu evidentiæ, ipſi probabilius ſit legem exiſtere, ſufficit probabilior illa notitia ad peccati reatum inducendum, ut conſtat ex rationibus in eam rem ſuperiùs adductis.

Atque hinc petitur diſcrimen inter viros illos ſanctiſſimos quos modò appellavi, & eos qui ſequuntur opinionem minùs probabilem in conflictû probabilioris præceptum aſſerentis. Patribus enim illis nec evidens nec probabilius videbatur hujuſmodi legem exiſtere. At ſupponimus in prædicto opinionum moralium concurſu, eos qui juxta minùs probabilem operantur, ſin minùs evidenti, at probabiliori ſaltem judicio promulgationem, ſeù, ut aiunt, exiſtentiam legis agnoſcere.

LXXXII. Inſtabis omiſsâ celebri controverſiâ, an Decretum Stephani Papæ de non rebap-

Digitized by Google

tizandis quos Hæretici Baptizaſſent, fuerit definitio Fidei, & legitima promulgatio Divinæ traditionis, cui Cyprianus aliique Africani Epiſcopi tenerentur adhærere, negari non poteſt, Auctoritatem primæ Sedis, & Concilli ab eâ celebrati, ſententiam Stephani, apud Cyprianum, & viros omnes prudentes, ſin minùs Fide certam ſaltem oppoſitâ probabiliorem effeciſſe. Ergo major probabilitas non excludit ignorantiam invincibilem, quæ excuſet à peccato, quando quidem utraque ſtabat ſimul in animo Cypriani, & Patrum Africanorum.

Reſpondebit cum Hieronimo, quiſquis antecedens admiſerit, *peccaſſe, ut homo erat, Cyprianum, at egregiè poſtmodum, quod peccavit, paſſione purgaſſe.* Sed qui voluerit tantum virum, & celeberrimum in Eccleſiâ Doctorem, ac Martyrem culpâ omni liberare;

Reſpondebit Sententiam Stephani à loco extrinſeco, ſuam autem à loco intrinſeco viſam Cypriano probabiliorem: Hoc eſt, judicandi prudentiam, ſapientiamque ſupremi ſui Antiſtitis pro ſuâ modeſtiâ, Cyprianus ſuæ anteponebat; exiſtimabat nihilominùs rationes, quibus ad oppoſitam ſententiam tuendam movebatur, longè validiores eſſe, nec dubitabat quin Stephanus, ſi eorum vim & robur perinde explo-

ratum haberet: ipſe quoque ad illam accederet. Neque enim de Cypriani pietate, & ſapientiâ quiſquam tam injurioſè ſentiat, ut exiſtimet eum ſuæ ſententiæ ita affixum fuiſſe, ut eam adverſus auctoritatem Primæ Sedis retinere voluerit, quamquam ſuæ ipſi rationes tenues, & oppoſitis debiliores viderentur. Nefas de tanto viro, tam humilia, tamque temeraria ſuſpicari.

LXXXIII Itaque ſicut diximus, quòd cum opinio tutior apparet probabilior operanti, teneatur ille ipſam amplecti, ità cum eadem probabilior ipſi à loco intrinſeco, & minùs tuta ſolùm à loco extrinſeco probabilior videretur, tenetur pariter tutiori adhærere, quia rationis pondus majus eſſe debet, quâm Auctoritatis. Quod adeò verum eſt, ut ſi Doctores ipſi, quorum Auctoritas majorem illam probabilitatem extrinſecam efficit, perſpectam habuiſſent vim & exceſſum rationum oppoſitarum, ut ab operante percipiuntur, & judicantur, in contrariam, hoc eſt in tutiorem ſententiam protinùs abjiſſent. Nullus enim Auctor, ut ſuperiùs diximus, tuetur illam ſententiam, quam judicat debilioribus niti argumentis, ſed eam cujus rationes oppoſitis validiores ac firmiores ipſi videntur, ac proinde quam à loco intrinſeco probabiliorem exiſtimat.

Digitized by Google

At inquies, nonne ſummæ temeritatis eſt, privatum hominem ità ſuo judicio confidere, ut illud plurium & quidem virorum inſigniorum judicio anteponat, exiſtimetque ſe vim rationum ſuam opinionem aſſerentium, illis acutiùs pervidiſe? LXXXIV

Accedit quòd illa confidentia hominis, qui conſcientiam & opiniones ſuas privato ſuo judicio regit, eadem planè videatur cum privato ſpiritu Calviniſtarum aſſerentium, debere unumquemquè privato ſuo ſpiritui credere, ejuſque impulſu ac perſuaſione regi, quidquid cæteri homines in contrarium ſentiant.

Quæ ſanè utriuſque ſententiæ affinitas in hunc modum ſtatui poteſt. Si unuſquiſque teneatur opinionem illam amplecti quæ, ipſi rem accuratè examinanti probabilior apparebit, quamvis illa pluribus aliis viris quoque probis & doctis minùs probabilis videatur. Ergo tenemur omnes in rebus agendis privatum animi noſtri ſenſum audire & ſequi, eumque aliorum quamquam meliùs conſultorum judicio anteponere. Quæ eſt ipſa Calvinianorum Doctrina aſſerentium, debere unum quemque privato ſuo ſpiritui credere ejuſque impulſu ac perſuaſione regi, quidquid cæteri omnes aut ferè omnes, in contrarium ſentiant.

Digitized by Google

Confirmatur vel ille, qui, opinionis alicujus fundamentis pro ſuo captu diligenter exploratis, eam magis probilem ac magis veriſimilem arbitratur, debet hunc ſuum ſenſum deponere, ac judicio reflexo ſtatuere, meliorem eſſe oppoſitam aliorum ſententiam, quos ipſe pro ſuâ modeſtiâ, debeat ſe doctiores ac ſaniores exiſtimare: vel debet huic ſuo judicio, aliis licet reclamantibus, adhærere. Si primum, ergo ruit cauſa majoris probabilitatis reſpectivæ, quam operanti jam ſequi non licebit, in concurſu majoris probalitatis objectivæ. Si ſecundum, en planè privatum illum ſpiritum Calvinianorum, ex quo tanta rerum perturbatio, tot incommoda, tot errores emergunt.

LXXXV. Hæc in ſpeciem plauſibiliùs dicta eſſe quàm veriùs, intelligi poteſt ex diſcrimine, quod inter ſpiritum privatum & judicium reſpectivè probabilius, hîc breviter aſſignamus.

Primò quidem, quia hæretici volunt, ita credendum & obtemperandum illis, quæ privatus ſpiritus ſuggerit, v. g. hanc eſſe ſcripturam divinam, hunc eſſe ſenſum ſcripturæ illius, ut interiori hujuſmodi ſpiritûs ſeu afflatui, ſeu dictamini adhærendum ſit, quanquam ſanctorum Patrum, & Eccleſiæ ipſius Auctoritas adverſetur. hinc perpetui clamores tum veterum, tum re-

Digitized by Google

centium Calviniſtarum vociferantium, eum, qui privati ſui ſpiritûs intelligentiâ, judicat Dogma aliquod eſſe falſum, imperare ſibi non poſſe, quin illud falſiſſimum habeat, refragantibus licèt Pontificibus, & Epiſcopis omnibus. Calv. ſupra. Juriæ antid. a. 10.

At Catholici ſeverioris ſententiæ vindices docent; ut ſuum operanti, de re aliquâ agendâ aut omittendâ judicium, aliorum opinione judicioque probabilius videatur; debere illum cognoſcere hujuſmodi judicium nullis Eccleſiæ, & Summorum Pontificum decretis contrarium eſſe. Si enim intelligat, pugnare illud cum ſacrâ illâ Eccleſiæ Auctoritate, jam nec probabilius operanti, ſed ne quidem probabile haberi debet; eſtque penitus abdicandum.

LXXXVI Deinde, ſeu Spiritus privatus faveat legi, ſeu faveat libertati; hoc eſt ſeu affirmet ſeu neget legem exiſtere, audiendus eſt, inquiunt Calviniani, quantumvis omnes Eccleſiarum Paſtores, ac Doctores reclament. Contra verò, aïunt Auctores Catholici, cum privatum operantis judicium favet libertati adverſus legem, non ſufficit, ut judicium illud probabilius ſit reſpectivè, ſed præterea neceſſe eſt, ut ipſe operans ſciat, Auctores claſſicos paris aut ferè paris auctoritatis ſuam hanc ſententiam tueri. Quare, ex Doctrinâ iſtorum Auctorum, adeò non tenetur

Digitized by Google

unuſquiſque perpetuò ac conſtanter adhærere ſuo judicio, contra cæterorum hominum judicium, ut etiam in multis caſibus, non poſſit illud ſequi: nempe ſi aliqui Autores in eo, caſu dequo modo dictum eſt, paris, aut majoris autoritatis ab illo diſſentiant.

LXXXVII. Tertiò cum privatus Spiritus ſuadet aliquid oppoſitum judicio ac præcepto quorumcumque ſuperiorum Eccleſiaſticorum, neceſſe omnino eſt, juxta Doctrinam hæreticorum, ut audiatur, ut illi obtemperetur. At de probabiliori operantis judicio non ita ſentiunt ejus defenſores, qui docent, cum Prælatus rem unam ſubdito præcipit, in quâ ipſe nullum cenſet eſſe peccatum; ſubdito autem probabilius videtur, illicitam & culpabilem eſſe; docent, inquam, teneri ſubditum ſuam illam opinionem deponere, ac judicio ſuperioris acquieſcere. Non poterit quidem ſubditus perſeverante ſeu dubio, ſeu judicio probabiliori, obedire prælato contrarium præcipienti; quia contra conſcientiam ageret; ſed Prælati Auctoritate permotus debet ſuum illud privatum judicium abdicare. Niſi fortè illud non modò Probabilius, ſed certum & evidens videretur.

LXXXVIII. Quâ & ſuperiori cautione, occurritur antè memoratæ nonnullorum offenſioni exclamantium, ſummæ eſſe confidentiæ, & temeritatis, privatum hominem, quantum-

Digitized by Google

cumque ſibi prudens & callidus videatur, ita ſuo judicio adhærere, ut illud aliorum, ſapientiâ licèt ac numero ſuperiorum, judicio, abſolutè & in ſe probabiliori anteponat. Reſpondetur enim, viro ſapienti non ita ratum fixumque eſſe debere judicium, quod ipſi probabilius videtur, quin illud interdum, præſertim in iis caſibus, de quibus modò dictum eſt ab dicare teneatur. In cœteris, poſt rem diligenter ac bonâ fide examinatam, ſequi poteſt eam ſententiam, quam exiſtimat probabiliorem; modò videat illam, quando ſcilicet ſtat contra legem, doceri ab Auctoribus paris Autoritatis cum illis, qui contrariam tuentur.

Hæc ſunt amice Severine quæ ego concordiæ ac pacis amans ad Quæſtionem à te propoſitam reſpondenda judicavi. LXXXIX Ut enim minimè probantur mihi, qui defenſores opinionis minùs probabilis, viros inſignes, laxitatis & corruptæ morum diſciplinæ inſimulant: ita nec placent qui majoris probabilitatis Patronos velut Novatorum fautores invidiosè exagitant. Et quoniam rem confici putant argumento ab ignorantiâ invincibili petito; placuit vim ejus ac robur diligentiùs explorare, omiſſis cæteris omnibus quæ Auctores alii accuratè pertractarunt; præter ea quæ cum illo cohærere videbantur. An diſputatio hæc noſtra ſeve-

Digitized by Google

riori ſententiæ fidem atque Auctoritatem attulerit, tuum, ac veſtrorum Academicorum judicium erit, quibus non abnuo hanc meam lucubrationem etiam, ſi ita viſum fuerit, ampliſſimæ veſtræ Poſnanienſis Academiæ Typis Editam, impertiri.

Scribebam Bononiæ VI. Kal. Iunias.
An. M. DC. XCVII.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6-4